DE
CANONIBUS APOSTOLORUM ET CODICE
ECCLESIAE HISPANAE.

DISSERTATIO
JURIS CANONICI

QUAM

ILLUSTRIS JURISCONSULTORUM ORDINIS

AUCTORITATE

PRO LOCO IN EODEM RITE OBTINENDO

D. XXIII. M. DECEMBRIS A. MDCCCXXVIII.

H. L. Q. C.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

M. ED. REGENBRECHT
J. U. D. ET P. P. O.

ADSUMTO SOCIO

GUILIELMO DE SCHMAKOVSKI
SILESIO.

VRATISLAVIAE
PROSTAT APUD MAXIUM ET SOC.

Praefatio.

De collectionibus canonum et epistolarum decretalium latinis et praesertim de Hispana disputaturus, facile abstinuissem a recensendo collectiones antiquissimas ecclesiae orientalis, si genuinam illarum collectionum indolem sine cognitione graecarum collectionum, e quibus canones antiqui depromti et in linguam latinam versi sunt, perspici posse persuaderi mihi quivisset. Non defuere viri et ingenii acumine et doctrinae copia ad laudem insignes, qui cum bibliothecae manuscriptis codicibus locupletissimae sibi paterent, graecas potissimum collectiones amplioribus commentariis pertractarent. Et nuper inter ipsos Jureconsultos nostros nonnulli hanc provinciam adierunt, inter quos unum sufficiat nominasse V. Ill. Bienerum, in historia Novellarum Justiniani Berol. 1824

edita, pag. 157 — 222. et in Dissertatione: De collectionibus canonum ecclesiae graecae, Berolini 1827, scriptis et sermonis elegantia et rerum perspicuitate praestantissimis: quamvis dolendum sit, auctori haud placuisse in antiquis collectionibus paululum diutius immorari. Cum tamen ad liquidum res nequaquam adhuc perducta sit, (id quod quo quis est intelligentior, eo facilius fatebitur) excusatione mihi opus non fore reor, novis curis eam suscipienti, quae qualem eventum habuerint, viri harum rerum periti et aequitate praediti judicent velim.

Caput I.

De canonibus Apostolorum.

Ecclesias christianas prioribus tribus saeculis res suas tradita ab Apostolis disciplina moderatas esse, ab omnibus historiae ecclesiasticae peritis agnitum esse puto. Episcoporum partes erant gravissimae, et ut fides, quam ab Apostolis acceperant, integra servaretur et propagaretur, et ne alienae doctrinae irreperent, operam dare. Hac ratione inter duras persecutiones mores et consuetudines ecclesiae natae et firmatae sunt, atque cum graviora imminerent pericula, conciliis congregatis et communi Episcoporum, utpote traditionis custo-

dum sententia, dogmata et disciplinae praecepta explicabantur et stabiliebantur. Quare in concilio Nicaeno can. VI. patres constituunt: *Τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω*· nec solum in hac una definitione, sed saepenumero antiqui mores, consuetudines, definitiones, constitutiones, regulae commemorantur, et canones, qui iis accommodati sint, constituuntur. Sed quoniam ecclesia ante Constantinum, utpote diis patriis et ipsi Imperatoris genio inimica, legibus imperii proscripta erat, neque concilia libere congregari potuisse consequitur. Quare quidquid nobis de conciliis ante quartum seculum congregatis traditur, non ad id genus, de quo agimus, referri posse existimo: fuerunt enim aut coetus clericorum unius parochiae sub episcopo suo habiti, quales Romae saepe convenerunt, aut si forte plures episcopi convenerant, certe dubitari potest, an canones constituerint, et si quas constituerint, ii saltem nec per universam ecclesiam promulgari potuerunt, nec injuriam istorum temporum superarunt. Quamquam cum nemo negaverit, ec-

clesiam regula aliqua fuisse gubernatam, ejus res certo ordine esse administratas necesse est. Itaque antiquissimum nobis concilium, cujus canones ad nostra tempora venerunt, est Eliberitanum.

His praemissis ad canones Apostolorum accedamus. De quibus ante omnia hoc apud omnes constare arbitror, canones Apostolorum antiquissimam omnium collectionum esse, atque hoc sensu Beveregius non immerito hos canones sub specioso titulo: Codex canonum ecclesiae primitivae edidisse putandus est: ceteroqui supposititiam illam collectionem neque primitivae neque ullius unquam ecclesiae codicem fuisse, demonstrabimus. Praeterea quanta sit cunque virorum doctorum, qui in hac disquisitione desudarunt, turba, tamen non dissimulaverim multum abesse, quin omnes quaestiones, quae hoc loco moveri possint, jam esse solutas concedam. Quam vero nobis de collectionibus ecclesiae latinae disserendum proposuerimus, difficultates, quibus et origo et historia hujus collectionis implicatae sunt, facili negotio evitare potuis-

semus, si quasi transeuntes hunc scopulum, tantummodo auctores laudavissemus, qui immortalem de his canonibus elaborantes laudem meriti sunt. Sed quoniam a Dionysio Exiguo latine redditi et in codicem recepti sunt, indeque in alios codices manarunt, et denique per Gratiani Decretum partem juris canonici communis constituerunt, ab hac disquisitione abstinere non potui. Itaque ne tractatio nostra firmo fundamento careat, primum de varia canonum Apostolorum forma, quales in codicibus, qui injuriam temporum effugerunt, latent, et editionibus divulgati sunt, nobis exponendum erit.

Graecos venerari canones LXXXV omnia veterum testimonia confirmant, e quibus laudare sufficiat Joannem Antiochenum, (qui postea imperante Justiniano Patriarcha Constantinopolitanus fuit,) in ordine canonum collectioni suae praefixo [1]), et canonem II. Trullanum [2]), et

1) Vid. Voelli et Justelli bibliotheca juris canonici veteris. Vol. II. p. 501.

2) ἀλλὰ μὲν καὶ παραδοθέντας ἡμῖν ὀνόματι τῶν ἁγίων

Photium in praefatione ad Nomocanonem. [1]) Recentiores qui scholia iis adjecerunt mittamus.

Primus graecum contextum ex codice manu scripto St. Hilarii Pictaviensi una cum canonibus a concilio Trullano approbatis ipsis Trullanis adjectis denique canonibus synodi Nicaenae II. edidit Joannes Tilius Episcopus Engolismensis, deinde Briocensis, tandem Meldensis, sub hoc titulo: „Codex canonum, seu Canones SS. Apostolorum et priscarum synodorum Decreta, Graece, Opera Joannis Tilii. Lutetiae Parisiorum 1540 per regium typographum Neobarium. in 4. Hanc editionem inscripto suo nomine typis repetendam curavit M. Elias Ehinger Augustanus, scholae Rotenburgo - Tuberanae Rector. Witebergae 1614. in 4. Editor multa contra conciliorum auctoritatem et ecclesiam catho-

καὶ ἐνδόξων ἀποστόλων ὀγδοήκοντα πέντε κανόνας. vid. Mansi amplissima conciliorum Collectio T. XI. col. 940. cf. can. 4. D. XVI.

1) In Voelli et Justelli Bibliotheca Vol. II. p. 793.

licam in Dedicatione confuse hariolatur et ita virulenter canones tractat, ut non solum epicrisin, ex Lucae Osiandri Historia ecclesiastica L. 3. c. 3. petitam, cuivis fere canoni subjiciat, sed etiam in Praefatione Aristophanis, Lucretii, Ausonii, nescio quorum praeterea, ope Papatum funditus subruere adnitatur. Quanquam editor in titulo operis praetendit: E canonicorum Divi Hilarii Pictaviensis et Augustana Bibliotheca graece et latine edita, atque in Praefatione ad Lectorem: se codicem, quem a V. Cl. Hoeschelio obtinuerit, contulisse affirmat: tamen tam descriptionem hujus codicis quam collationem seu variam lectionem frustra quaesiveris. Latinam versionem depromsit ex conciliorum editionibus Coloniensi, Moguntina et Parisiensi vulgatam. Omnino rem inepte et perperam tractavit.

In hac editione complures canones Apostolici ordine vulgari turbato transpositi, unus canon duos comprehendit, alius in duos divisus, ita tamen omnes dispositi sunt, ut denique LXXXV numero evadant.

Tilianam editionem excepit Hervetiana. Gentianus Hervetus, Doctor Sorbonnicus, primus canones Apostolorum cum scholiis Theodori Balsamonis graece et versione latina subjecta edidit Parisiis 1561. in fol. Quae editio totum canonum Apostolorum corpus comprehendit, licet canon ultimus numerum LXXXIV. prae se ferat: contracti enim sunt canones XII. et XIII. in unum duodecimum.

Textus graecus Hervetianae editionis repetitur in omnibus conciliorum collectionum editionibus, quae graeca habent, in editionibus corporis juris civilis Gothofredo-Leeuweniana et Gebauero-Spangenbergiana. Harduinus in conciliorum editione variantes lectiones codicis Msti. Bibliothecae Regiae Parisinae num. 2430, atque Colbertini codicis adjecit, quas omnes Mansius repeti jussit. Spangenbergius denique ex codice Meermanni excerptas variantes lectiones haud minimi pretii et brevia quaedam scholia, a graeco homine margini codicis adpicta exhibuit.

Versionem Hervetianam sistunt in col-

lectionibus conciliorum Surius, Nicolinus, et (Sirmondus) in Romana editione a. 1608 [1]), Labbeus et Mansius.

Gregorius Haloander latinam versionem curaverat, elegantem quidem sed non omnino accuratam, in editione Codicis Justinianei, ut subinde a vero textus graeci sensu abhorreat, partim, ut videtur, rerum ecclesiasticarum inscitia deceptus. Existimaverim Haloandrum graecum exemplum in nonnullis locis corruptum usurpasse, quod tamen in numero et distributione canonum cum Hervetiano convenerit.

Hanc versionem in conciliorum editiones receperunt Petrus Crabbus, Joannes Sagittarius, Franciscus Joverius, atque in editionem corporis juris canonici Fratres Pithoei et Boehmerus, omisso tamen textu graeco, at Spangenbergius juxta graecum Hervetianum.

---

1) Hanc editionem Sirmondum, suppresso tamen nomine, curasse testatur Cossartius in Praefatione ad Apparatum Conciliorum. Tom. XVI.

Longe diversa canonum computatione et distributione apparet Collectio in libro octavo constitutionum Apostolicarum, quarum canones Apostolicos partem efficere ex Photio in Bibliotheca, Cod. 112. et 113. (edit. Andreae Schotti, Rothomagi 1653.) p. 289. intelligitur. [1]) Idemque probare videtur Appendix ad ultimum canonem: *ταῦτα δὲ περὶ κανόνων διατετάχθω ὑμῖν* et rel. quam Joannes Antiochenus habet, quamque Beveregius reperisse se ait in plerisque codicibus graecis, praesertim iis qui scholiis carent, et in arabica paraphrasi Josephi Aegyptii, quae asservatur in Bibliotheca Bodlejana Oxonii. Eandem Cotelerius quoque in codicibus quinque Bibliothecae Regiae Paris. conspici fatetur. Eadem exstat in codice Meermanni notante Spangenbergio, et sub titulo Coronidis a Crabbo in conciliorum collectionem recepta

1) En Photii observationem: *Ἀνεγνώσθη Κλήμεντος τοῦ Ῥώμης τεύχη βιβλίων δύο· ὧν τὸ μὲν ἐπιγράφεται Διαταγαὶ τῶν ἀποστόλων, διὰ Κλήμεντος· ἐν ᾧ καὶ οἱ τῶν συνοδικῶν κανόνων τῷ ἀθροίσματι τῶν ἀποστόλων κανόνες ἐπιγραφόμενοι περιέχονται.*

in reliquas editiones migravit. Desideratur autem apud Zonaram et Balsamonem. Accedit quod auctor imperfecti operis in Matthaeum [1]), apud S. Chrysostomum, ad Evangelium Matthaei VI. 3. respicit ad Librum canonum Apostolorum et in eo ad caput, quod de episcopis agit, qui locus aut ad lib. III. cap. 14. constitutionum Apostolicarum, ubi illud Matthaei caput de eleemosynis explicatur, referendus, aut in libro II. de Episcopis quaerendus erat. [2]) Nam idem auctor ad Matthaeum XXV. 18. disertis verbis ait: Quo modo autem quidam sacerdotes ex hominibus ordinantur, manifeste in libro octavo canonum

1) Haec sunt ejus verba: „Aliter certe, sicut Apostoli interpretantur in libro canonum, qui est de Episcopis: dextra est populus Christianus, qui est ad dextram Christi; sinistra autem omnis populus, qui est ad sinistram. Hoc ergo dicit et rel.

2) Cotelerium in adnotatione 9. ad lib. 3. cap. 14. (Patres Apostolici. Vol. I. p. 289.) constitutionum Apostolicarum recte suspicari, a posterioribus articulum ab auctore fragmenti laudatum esse sublatum, quia etiam Chrysostomo haec interpretatio displicuerit, mihi quidem persuasum est.

Apostolorum dicitur.[1]) Atque haec sententia revera legitur in lib. VIII. c. 2. constitutionum Apostolicarum (apud Cotelerium in Patribus Apostolicis. Vol. 1. p. 393.) his verbis: „Neque vero rex impius amplius rex est sed tyrannus, neque Episcopus inscitia vel animi pravitate constrictus episcopus est, sed falsum nomen gerit, non a Deo, verum ab hominibus promotus."

Ex quo loco, cum canones nunquam in libros divisi fuerint, sed brevibus sententiis constent, luculenter apparet, sub nomine canonum Apostolorum auctorem intellexisse constitutiones Apostolicas.

---

1) Hom. XIII. ex cap. V. (cf. Chrysostomi Hom. XIX. ad Evang. Matth. VI. 3. ed. Montfaucon. T. VII. p. 246. A.) et Hom. LII. ex cap. XXV. vid. S. Joannis Chrysostomi Opera Omnia ex edit. Bern. de Montfaucon. (Parisiis 1724. T. VI. p. LXXIV. et p. CCXXI.)

Erasmus (in edit. Chrysostomi Basileensi a. 1530. T. III p. 473.) auctorem hujus operis „eruditum, facundum et in divinis literis sic exercitatum esse, ut in hac parte non cedat Chrysostomo," praedicat, illumque latine hoc opus scripsisse, et nonnulla dixisse, quae a fidei dogmatibus discrepent et Arianae haereseos placita prodant; cf. Bernardi de Montfaucon Diatribe.

Quamobrem mihi non displicet Cotelerii conjectura (Vol. II. p. 43 — 136. in adnotat. marginalibus), propter mirum in quibusdam capitibus canonum et constitutionum Apostolicarum consensum [1]) suspicari licere, auctorem utriusque operis si non eundem fuisse, tamen alterum ex altero hausisse. [2])

Canones Apostolorum in Constitutionibus comprehensos primus in lucem emisit graecos, simul in sermonem latinum translatos, Carolus Bovius, Ostunensis episcopus, Parisiis 1563. in 8. [3])

---

1) Imo Ignatii quoque epistolas commentitias permultis in locis cum peculiaribus constitutionum Apostolicarum sententiis cohaerere, recte Cotelerius monuit.

2) Cf. e. gr. Can. VII. LXIV. LXIX. LXX. cum cap. 17. libri Vti. constitutionum Apostolicarum et epistola commentitia Ignatii ad Philippenses c. 13. et 14. (Patres Apost. Vol. II. p. 119. et 155.) Quod statutum reperimus quoque in concilio Laodiceno can. 14. 37. 38. Deinde quod de jejunio die Sabbathi prohibito, de baptismo haereticorum in utroque opere legitur.

3) Constitutiones Apostolicas etiam Venetiis a. 1563. excusas esse, Hoeschelius in appendice adnotationum ad Photii Bibliothecam (edit. Schotti Rotomagensis a. 1653.) col. 35. asseruit.

Deinde Franciscus Turrianus itidem cum versione nova latina et defensione contra Centuriatores Magdeburgenses idem corpus constitutionum et canonum edidit Parisiis 1573.

Talem contextum graecum cum versione latina et adjecta versione Dionysiana priorum L. canonum ex codicibus MStis Cotelerius in collectione Patrum Apostolicorum Paris. 1672. divulgavit. Joannes Clericus in secunda editione Amstelodami apud Wetstenios 1724, variantes lectiones duorum codicum MStorum Bibliothecae Caesareae Vindobonensis, quorum collationem Guilelmus archiepiscopus Cantuariensis suppeditaverat, singulis canonibus subjecit. 1)

In hac editione canones Apostolorum adjuncti sunt ultimo capiti constitutionum, atque LXXVI capita complectuntur hac ratione disposita:

can. 1. continet canones 1. et 2. vulgatae et Dionysianae editionis;

can. 2. continet can. 3. 4. vulg. et 3. 4. 5. Dionys. edit.

1) In Patribus Apostolicis Vol. I. p. 442—454.

can. 3. consonat cum can. 5. vulg. et can. 6. Dionys. edit. Et sic porro procedit usque ad

can. 12. qui continet can. 14. et 15. vulgatae, 15. et 16. Dionys. edit.

can. 17. complectitur canones 20. 21. 22. 23. vulg. et 21. 22. 23. 24. Dionys. edit.

can. 18. constat can. 24. vulg. et 25. 26. Dionys. edit.

can. 32. et 33. respondent can. 38. et 39. vulg. et contrahuntur in 40. apud Dionys.

can. 35. continet can. 41. et 42. vulg. et apud Dionys. 43. et 44.

can. 42. concinit cum Dionys. ultimo.

can. 69. compositus est ex can. 77. et 78.

can. 76. concordat cum ultimo 85.

Ex quibus apparet nihil omissum esse, sed aliam dumtaxat canonum divisionem factam.

Aequalem huic textum ediderunt Bovius et Turrianus, cum hac sola discrepantia, quod in Turriana editione canon quartus desideratur, ideoque LXXV. tantummodo canones numerantur.

Optimae notae est codex, quem Guilielmus Beveregius ecclesiae anglicanae presbyter graece et latine, cum scholiis Zonarae et Balsamonis, cum vetere horum canonum epitome et in eam scholiis graecis Aristeni edidit in *Συνοδικῷ* sive Pandectis Canonum. Oxoniae 1672. T. I p. 1—57. quibus suas adnotationes in Tomo II. adjecit.

Idem canones Apostolorum LXXXV iterum graece et latine sine scholiis edidit sub titulo: Codex canonum ecclesiae primitivae vindicatus ac illustratus. Londini 1678. in 4. denuo Amstaelodami 1697. in 4.

In hoc opere adnotationes in Synodico propositas contra Anonymi (quem putant Matthaeum Lorroquanum fuisse) Observationes ad Beveregii Annotationes, cum antiquitatem canonum tum alias Beveregii sententias impugnantes, vindicavit et illustravit auctor.

Haec Beveregii commentatio, omisso tamen canonum textu, recepta est a Joanne Clerico in Accessionibus editionis secundae Patrum Apostolicorum a Cotelerio edito-

rum ad Vol. II. p. 1—176. Beveregii Judicium de canonibus Apostolorum et Adnotationes repetitae sunt a Cotelerio Vol. I. p. 432—441. et p. 455—482.

Hanc discrepantiam antiquitus propagatam, neque negligentia librariorum natam esse, ex his quae jam afferemus argumentis apparebit.

In Bibliotheca Bodlejana Oxoniensi asservatur codex, qui Josephi Aegyptii arabicam interpretationem vel paraphrasin omnium fere canonum conciliorum orientalium continet. Beveregius canones priorum quatuor generalium conciliorum latine translatos cum textu arabico in Synodico edidit T. I. p. 683. Unde concilii Nicaeni canones Harduinus depromsit in T. I. et Mansius T. II. col. 705—719. repetendos curavit. In illa arabica interpretatione nostra collectio in LXXXI canones distribuitur.

Porro in epitome canonum Simeonis Magistri et Logothetae collectio LXXXII canonibus absolvitur, nimirum canonibus X. et XI. item XV. et XVI. in unum contractis, canone XXXVIII. in duos diviso,

et canonibus LXX. et LXXI. plane omissis. vid. Bibl. Jur. can. vet. T. II. p. 710-714.

Denique in Synopsi Canonum Aristeni collectio in LXXVII. canones divisa est, qui omnes sententias comprehendunt. vid. Bibl. Jur. can. vet. T. II. p. 673—677.

Postremo jam Charondas monuit, textum graecum in can. LXXV. in editionibus vulgatis contractum et mutilum esse, ut aliquid excidisse censeas. Alii codices hunc canonem multo ampliorem repraesentant v. gr. editio Beveregii, codex Meermanni, et codices, ex quibus varia lectio ad marginem a Mansio adnotata manavit. In codice Meermanni, notante Spangenbergio, can. IX. cum XII. coaluit, et canones LXIII. LXIV. et LXV. ordine prorsus turbato ita procedunt, ut can. LXIV. et can. LXV. canoni LXIII. anteponantur. Cotelerius testatur, in nonnullis codicibus, quos ipse inspexerit, in iisdem canonibus ordinem itidem turbatum esse.

Jam superest, ut de editionibus Dionysianae versionis, quantum nostra interest

explicemus. Prima editio est in Collectione Dionysiana Maguntii a Wendelstenio curata a. 1525. in fol. tum in Codice Canonum ecclesiae Romanae Parisiis, 1609. 8. repetita. Altera in Codice canonum vetere a Fr. Pithoeo ex bibl. le Pelletier. Paris. 1687. in fol. Tertia ex Codice MSto Christophori Justelli. Parisiis 1628. 8. 1643. 8. et in Bibl. jur. can. vet. T. I. p. 101. Et quonjam etiam in Pseudo-Isidoriana collectione a Jacobo Merlino editi sunt, reliqui collectores conciliorum hunc textum itidem receperunt. Constat haec versio L prioribus canonibus, ut ultimus canoni XLIX. vulgatae editionis respondeat. Nec desunt codices, ubi XLIX tantum canones Dionysiani numerantur, e. gr. in codice Lucensi num. 194. a Mansio collato. Harduinus et Aguirre variantes e codicibus manuscriptis adjecerunt, quas Mansius repetiit, et insuper codicem Lucensem et Vaticanum contulit.

Dionysiana versio non solum in quibusdam vocibus et enunciationibus, verum etiam in distinctione canonum a vulgato

textu recedit. Canon III. apud Dionysium in tertium et quartum scinditur. Canon XXIV. canones Dionysianos XXV. et XXVI. efficit. Denique can. XXXVIII. et can. XXXIX. apud Dionysium in canonem XL. contrahuntur.

Jam ad quaestionem, quam nobis solvendam proposuimus, progrediamur. Etenim cum collectionem canonum Apostolorum non ab ipsis Apostolis, neque ab iis, quos proprie Apostolicos viros appellare solemus, posse derivari, a nemine ne in dubitationem quidem vocari videam: jam omnis quaestio in eo versatur, unde ab eo, qui eos collegit, hausti, et quando evulgati sint. Ceterum et id mihi persuasum est, canones, cum antiquos mores contineant, licet per universam ecclesiam tunc temporis non usquequaque iidem valuerint, pretiosum tamen juris canonici monumentum esse et veluti radices, e quibus subinde laetos fructus nasci conspicimus. Qua in tractatione rem tantis difficultatibus implicatam ita expedire conabimur, ut missis fabulis, capitibusque subdititiis, utpote a Dallaeo acriter

jam profligatis 1), in quibus coacervandis Carolum Bovium Franciscus Turrianus longe superavit, atque omnem modum ac pene dixerim pudorem excessit, ea duntaxat recenseamus, quae historica fide digna et ad juris canonici historiam utilia fore videbuntur.

Canones Apostolorum plerosque convenire cum moribus ecclesiarum tertii et quarti seculi dubitari nequit. Hic ne longius exspatier, praecipuos tantum Patrum locos in medium proferam, ubi consuetudines ecclesiae memorantur, canonibus istis ita convenientes, ut manifestum sit, ex illis consuetudinibus et sententiis scriptorum canones, qui cum conciliorum constitutis non cohaerent, effictos esse.

Origenes lib. III. contra Celsum 2) perhibet, morem ecclesiae obtinere, lapsos peracta legitima poenitentia in communio-

1) Joannis Dallaei de Pseudepigraphis Apostolicis libri tres. Hardervici a. 1653. vid. lib. 3. c. 7. p. 492. sqq.

2) Vid. Origenis contra Celsum libri octo ex rec. Guilelmi Spenceri, Cantabrigiae, 1658. in 4. p. 142. c. fin. et p. 143. initio.

nem quidem admittendi, nec vero ad sacrum ministerium provehendi. cf. Epistola LII. Cypriani ad Antonianum et Epistola LIV. ad Cornelium de lapsis. Idem constitutum est in can. Apost. LI. (LII.) et LXXIX. (LXXX). Binium tantopere historicae fidei illusisse, ut canonem hunc ab Origene libro III. citatum praedicet (vid. ap. Mansium T. I. col. 63.) quis crediderit? Deinde Origenes lib. VIII. contra Celsum [1]) Christianos munera publica et communis vitae ministeria fugientes eo defendit, quod non societatem hominum detestentur, sed quod se divino magis ac necessario ministerio ecclesiae Dei ad salutem hominum servent. Quod Origenis aetate moribus obtinuit, in can. VI. lege cautum est, atque denuo injunctum in can. LXXX. (al. LXXXI.)

Porro Cyprianus [2]) Cornelium episcopum Romanum commendat laudibusque

---

1) Ibidem circa finem libri, p. 428.

2) Vid. Epistola LV. ad Cornelium, quacum conferantur epistola LIV. ad eundem et LII. ad Antonianum de Cornelio et Novatiano. In Editione Parisiensi a. 1726. Operum cura Steph, Baluzii, p. 79—89. p. 77. 66—76.

effert, quod Felicissimum a se et aliis Africanis Episcopis condemnatum, etiam rejecerit; pseudo-episcopos illos, qui Carthagine, ut criminum poenas effugerent, Romam petiverint, illic tum temporis foris sibi conventicula constituere conqueritur. Quoniam cum hac sententia consentiunt canones Apost. XXXI. et XXXII. Turrianus, et qui ejus partes sequuti sunt, inde finxerunt, Cyprianum hos canones in animo habuisse, cum ad Cornelium scriberet. Sed piget talia argumenta confutare. Nonne concordia ab ipso Christo, Apostolis omnibusque discipulis commendatur? Quid ergo opus his canonibus, ubi ipsa rei ratio loquitur? Sed jam ad concilia, in quibus canones Apostolicos laudari videntur, progrediamur.

Ac primo quidem invenitur in fine canonis I. Nicaeni concilii locutio:

Inprimis p. 74. haec leguntur: Qui ergo nec unitatem spiritus nec conjunctionem pacis observat, et se ab ecclesiae vinculo atque a sacerdotum collegio separat, episcopi nec potestatem potest habere nec honorem, qui episcopatus nec unitatem voluit tenere nec pacem.

τοὺς τοιούτους εἰς κλῆρον προσίεται ὁ κανών. in collectione Hispana: tales suscipit ecclesiastica regula ad clerum.

Plane hic canon eadem latius exponit, que constituta sunt in can. Apostolicis XXI. XXII. XX. Inde tamen non liquet, collectionem canonum Apostolorum antiquiorem esse concilio Nicaeno, sed hoc solum sequitur, de eunuchis et praesertim de his, qui ipsi sibi genitalia exsecuerint, regulam aut antiquiorem esse Nicaeno concilio, aut depromtam esse ex canone I. Nicaeni concilii a collectore canonum Apostolicorum. Certum enim est, hoc perversum sanctitatis studium tunc multos Christianos corripuisse, atque adeo ipsum Origenem hoc facinus contra naturam patrasse; quod tamen, ut Eusebius Hist. eccles. lib. VI. c. 8. [1]) memoriae prodidit, improbatum est a Demetrio Alexandriae tunc episcopo.

---

1) Vid. Eusebii et rel. historiae ecclesiasticae ex edit. Guilielmi Reading, Londini 1720. fol. Tom. I. p. 264 — 266. Plura hujus rei exempla congessit Baronius in Annalibus ecclesiasticis ad annum 230. num. 4. et 5. in edit. Coloniensi a. 1624. T. I. col. 378.

Atque ex hoc capite suspicari licet, Originis aetate nullum de hac re praeceptum in ecclesia valuisse: etenim hunc Doctorem cum primis pium officiique studio incensum vix credibile est, contra regulam ecclesiae tam graviter peccasse, multoque minus Demetrium hanc regulam ignorasse, aut Eusebium eam silentio praetermisisse. Quamobrem Dallaei sententia mihi magnopere arridet, existimantis hac ipsa occasione regulam illam natam esse, ne magni Doctoris auctoritate imbecilles animi decepti in hoc vitium facile perpetrandum ruerent.

In can. II. Nicaeni concilii patres, multa contra regulam ecclesiasticam gesta esse conqueruntur, et statuunt, neophytum episcopum ordinari non deberi. Hanc autem regulam ecclesiasticam non esse canonem Apostolorum LXXIX, sed potius Pauli Apostoli praeceptum in Epistola I. ad Timotheum cap. III. v. 6. enunciatum, perspicuum esse equidem arbitror, neque dubito, quin hic canon Apostolicus aut ex canone Nicaeno aut ex canone III. Laodiceno emanaverit.

In canonis V. Nicaeni articulo priori episcopi respiciunt ad canonem (*κατὰ τὸν κανόνα*) caventem, ne clericus vel laicus in concilio episcoporum provinciae segregati a communione, ab aliis episcopis admittantur. Idem omnino cautum est can. Apostolorum XII. et XXXI. inde tamen concludere non licet, patres Nicaenos ad hos praecise canones Apostolicos respexisse. Immo maxime hoc dissuadet ea ratio, quod canon Nicaenus ita definit hoc praeceptum, ut episcoporum temeritatem et privatas inimicitias coerceat, canon vero Apostolicus, ut iis solenne est, rem simpliciter definit, nec, ut Nicaenus canon, solum a concilio episcoporum excommunicatum, sed quemlibet ab episcopo exclusum recipi vetat. Quod autem hanc regulam ipsam attinet, eam jam ex perspicuis Pauli Apostoli verbis in Epist. I. ad Timotheum 3, 6. elicere potuerunt.

In can. VI. Nicaeni concilii iterum commemoratur ecclesiastica regula (*κατὰ κανόνα ἐκκλησιαστικόν.*) Nullus inter canones Apostolicos extat canon, qui hanc

regulam proposuerit, ergo hoc loco ipsa consuetudo regula ecclesiastica dicitur.

Canon XIII. Nicaenus comprobat de decedentibus e vita antiquam et canonicam legem — ὁ παλαιὸς καὶ κανονικὸς νόμος φυλαχθήσεται καὶ νῦν — Hic canon gravissimus, etiamsi solus esset, conjecturam nostram veram esse demonstraret, nec enim auctores diversae opinionis locum aliquem in canonibus Apostolicis neque in reliquis antiquioribus monumentis indicaverunt, qui legem hanc contineat; ut nihil omnino obstet, quominus dicamus, hanc antiquam et canonicam legem nihil nisi consuetudinem antiquam, quae legis vim in ecclesia obtinuerat, significare.

Denique in can. XV. patres dolent, consuetudines inveniri, quae praeter canonem sint, et quae in hoc et in XVI. canone prohibentur, vetantur quoque canonibus XIV. et XV. et XXXII. Apostolicis. Veruntamen manifesto patres hoc loco de consuetudine et moribus loquuntur ordini ecclesiastico contrariis, quibus disciplina

corrumpatur.[1]) Quodsi certi atque literis consignati fuissent canones, profecto non de regula ecclesiastica universe tantum disputassent patres Nicaeni, sed pro ea qua venerabantur antiqua ecclesiae monumenta pietate, sine dubio numquam sententiam modo, sed ipsa canonis verba recitassent.

Itaque ex canonibus Nicaenis evinci non posse puto, eos ex canonibus Apostolorum derivatos esse, quin potius admitterem, si quis eos canones Apostolorum, qui eandem regulam continent cum Nicaenis, ex his ab homine Graeco diu post concilium Nicaenum habitum decerptos

---

1) Explicantur haec decreta quodammodo in can. III. Antiocheno, et tamen puto sanctionem in canone Apost. ex can. Antiocheno depromtam esse, quod verosimilius fit, si contuleris voces in Nic. XVI. „ἢ ὅλως ἐν τῷ κανόνι ἐξεταζόμενοι,“ in Antioch. III. „ἢ ὅλως τῶν τοῦ ἱερατείου τις ...“ cum Apost. can. XIV. ἢ ὅλως τοῦ καταλόγου τῶν κληρικῶν. cf. can. Apost. LXII. Eadem significatione Patres Nicaeni vocem κανών passim usurpant e. c. in fin. can. XVI. ὁ ἐν τῷ κανόνι ἐξεταζόμενος. Eadem locutio initio sequentis can. XVII. recurrit, et in fine ejusdem canonis legitur: καὶ ἀλλότριος τοῦ κανόνος ἔςαι. Et circa finem can. XVIII. παρὰ κανόνα γὰρ καὶ παρὰ τάξιν ἐςὶ.

esse. Etenim canones Nicaeni ad certas rerum conditiones accommodati, causas et occasionem constitutorum passim produnt, necessitatem, qua patres commoventur, ut haec praecipiant, illa vetent, ostendunt; canones vero Apostolorum quasi excerpti, plerumque harum rerum expertes, tam universe praecepta proponunt, ac si quis ex juris copia breviarium legum concinnare voluerit. Accedit divisio unius definitionis concilii Nicaeni in suos articulos ita instituta, ut quivis articulus singularem canonem Apostolicum efficiat. Qua in re apparet, plerumque distinctum esse inter clericos et laicos, ut unum caput eadem de clericis enuntiet, quod alterum de laicis definiat. Certe collector Apostolicorum canonum usui sui temporis magis accommodatum putabat, ut laici segregarentur; quae separatio inde a Constantini aetate in dies magis obtinebat, donec laicis nihil nisi obsequium relinqueretur.

Deinde complures aliae definitiones Nicaenae, in quibus r e g u l a respicitur, cum aliis canonibus Apostolorum conveniunt. Quae-

ad sententiam nostram firmandam momentum adferre nemo facile negaverit. Hujus vero generis sunt: Definitio accurata can. IV. Nicaeni conc. ita contracta est in can. Apost. I. ut quod illic solummodo propter urgentem necessitatem vel itineris longitudinem permittitur, hic generaliter statuatur. Quod vero de metropolitano Episcopo in fine can. Nicaeni constituitur, multo ampliorem et perfectiorem definitionem conficit in canone Apost. XXXIII. quippe qui non solum electionis confirmationem metropolitano (seu potius primati provinciae) concedit, verum etiam [1]) causam ullam arduam aut magni momenti episcopum definire absque sententia primatis, quod caput reliquorum episcoporum ejusdem provinciae sit, vetat. Plane cum hoc can. Nicaeno consentit ipsis fere verbis can. Antiochenus XIX. qui tamen saltem non expresse admittit electionem a tribus Episcopis factam, sed, ut qui evocante metropolitano in locum destinatum advenire non possint,

1) *μηδέν τι πράττειν περιττὸν ἄνευ τῆς ἐκείνου* [*τοῦ πρώτου, τῆς κεφαλῆς*] *γνώμης.*

scriptis suffragia cum metropolitano communicent, requirit, dummodo plures adsint. Idem quoque constituit can. XII. Laodicenus, sed indefinitius.

Porro patres Nicaeni altero canonis V. articulo, bis quotannis concilium provinciae congregari jubent ad examinandum causas ecclesiasticas et praecipue ad judicandum causas, in quibus a sententia episcopi appellatum fuerit. Hoc iterum generaliter constitutum legitur in canone Apost. XXXVI. Synodus Antiochena statutum Nicaenum repetierat can. XX., at cum accuratiore temporis autumnalis definitione, scilicet Idibus Octobris, ἥτις ἐςὶ δεκάτη Ὑπερβερεταίου.[1]) Can. Apost. cit. δεύτερον δὲ Ὑπερβερεταίου δωδεκάτῃ. Haec mensium computatio est Syro-Macedonum et Asianorum proprie sic dictorum, et Hyberberetaeum convenire cum Octobri secundum systema Julianum Dionysius Exi-

1) De hac computatione conf. adnot. Cotelerii ad can. λ'. in Patrib. Apost. Vol. I. p. 447. et adnot. Beveregii repetitam ibidem p. 471. De alia etiam significatione consulatur Suidas s. h. v.

guus in interpretatione hujus canonis et scholia Zonarae et Balsamonis ad h. can. luculenter ostendunt, et confirmat arabica paraphrasis supra laudata, ubi ponitur duodecima mensis prioris Tishrin [1]) ex computatione Syrorum. Quidquid ex hoc loco ad investigandum auctorem aut certe regionem, ubi hi canones prodierint, evinci possit, jam praetermittens, hoc solum tanquam indubitatum mihi sumo, non illum canonem Nicaenum ex hoc canone Apostolico haustum esse, sed e diverso Apostolicum ex Antiocheno manasse. Etenim Nicaenus canon constituit vernalem synodum ante quadragesimae tempus, Antiochenus vero definivit, ut post tertiam hebdomadem festi paschae incipiat, et quarta hebdomade pentecostes perficiatur synodus. Eandemque definitionem contractam iteravit canon Apost. XXXVI.:

1) Cf. laterculum seu tabellam mensium Syriacorum, et Macedonicorum cum mensibus Romanis secundum systema Julianum a Beveregio descriptam in adnotat. ad can. Apost. XXXVII. in Synodico T. II. Append. p. 28. et apud Cotelerium (Patres Apostolici) Vol. I. p. 471.

semel quidem quarta hebdomade [1]) pentecostes; quae verba ut recte intelligantur, ad fontem ex quo truncata manarunt, nempe ad canonem Antiochenum respicias necesse est. Itaque neminem inficiari posse existimo, hunc saltem canonem ex concilio demum Antiocheno desumptum esse, quod certe vidisset etiam ipse Turrianus, nisi praeoccupata opinione credidisset, a sinceritate horum canonum contra Magdeburgenses Centuriatores, quos vocamus, probata, pendere salutem ecclesiae adeoque et Papae et Societatis suae. Hoc enim nisi posueris, vix cogitatione assequare hominem tam mordicus in opinione tam aperte falsa haerentem; vidisset quoque Beveregius ecclesiae anglicanae presbyter, nisi ipsi pugnandum fuisset contra tot Dissidentes et Presbyterianos, qua in pugna pati non debere sibi videbatur, ut

---

1) Temere Gregorius Haloander vertit: quarta feria. vid. h. can. in Corp. J. civ. edit. Gött. et in Corp. Jur. Can. ed. Boehmer. Eadem libertate in compluribus locis, ne plus dicam, usus est.

haec tanta suae ecclesiae columna ullo modo concuteretur. [1])

Can. Nic. VI. primatum Alexandrinum agnoscit, et potestatem episcoporum provincialium in reliquos tanquam moribus comprobatam confirmat. [2])

---

1) Conf. Epistolam Dedicatoriam ad Guilielmum archiepiscopum Cantuariensem ac totius Angliae Primatem, et Prooemium ad Codicem canonum ecclesiae primitivae vindicatum, quod sic incipit: Eo temeritatis delira hac nostra aetate deventum est, ut nihil propemodum in ipsa sit religione christiana, quod non vel privatim in dubium, vel in controversiam publice vocetur. Et sic porro.

2) De vexatissimo hoc capite propter depravationem, quam legati Romani ei illatam in actione XVI concilii Chalcedonensis (ap. Mansium T. VII. p. 443.) recitarunt, praemittentes commentitium principium: Q u o d e c c l e s i a R o m a n a s e m p e r h a b u i t p r i m a t u m etc. quod quamvis explosum tamen complures codices hodieque praeferunt, hoc loco disputare supervacaneum est, quoniam ad propositum nostrum nihil attinet, neque iis, quae viri eruditionis copia illustres, ex una parte Baronius, Bellarminus, Perronius, Sirmondus, Aleander, Dartis, Leschasserius, Gutherius, Marca, Launojus, ex altera parte Gothofredus, Salmasius, Blondellus aliique doctissimis commentariis et observationibus persecuti sunt, quod adjiciam habeo.

Quod hic canon definivit, accuratius explicuerunt canones Antiocheni IX. XVII. XVIII. et XIX. Et canon Apost. XXXIV. ea cum delectu aliquo excepit, quae continentur in can. Antiochenis IX. et X. omissa tamen ex hoc canone chorepiscopi mentione.

In can. XVII. Synodus Nicaena conqueritur, multos clericos turpia lucra sectari, foenerari et centesimas exigere, atque excommunicationem minitatur iis, qui in futurum talia admissuri sint. Neque ad ullum antiquiorem canonem hoc praeceptum refert, sed quasi novum canonem constituens his verbis utitur: Aequum censuit sancta et magna synodus et rel. quamvis idem jam in can. Apost. XLIII. decretum conspiciatur. Ecquis vero putaverit, episcopos ex omnibus regionibus congregatos hunc canonem, si is jam exstiterit, potuisse ignorare? Sed neque ex canone Laodiceno IV. (apud Dionysium et in Hispana collectione V.) Apostolicum canonem derivatum esse existimo, quamvis cum eo magis concinat.

Verum in can. Nicaeno XVIII. videamus, ne argumentum contra nostram sententiam fortassis aliquis deprehendat. Vituperant enim inibi episcopi, quod in quibusdam civitatibus invaluerit, ut diaconi eucharistiam presbyteris darent, quam observationem, inquiunt: nec canon nec consuetudo tradidit. (ὅπερ οὔτε ὁ κανὼν, οὔτε ἡ συνήθεια παρέδωκε) At inter Apostolicos nullum canonem investigaveris, de quo sentire potuisse episcopi probari possent; unde quidquid statuas de hac distinctione inter canonem et consuetudinem, ad nostrum argumentum nihil attinet. Postremum, quod jam saepe indicavi, canones Apostolorum maximam partem excerptos esse ex canonibus Antiochenis, manifesto apparet ex can. Apost. XXXIX. qui omisso initio totidem verbis reddit canonem Antiochenum XXIV. et ex can. XL. Apost. qui repraesentat canonem Antiochenum XXV. paululum modo turbato periodorum ordine, et in fronte praefixa voce: Jubemus, quod omnino fraudem prodit.

Hactenus itaque demonstrasse nobis videmur, Patres Nicaenos non ex Apostolicis canonibus hausisse, neque tamen eos ignorare potuisse, si jam tum ejusmodi canones, sive singilatim circumlati, sive in collectionem compositi fuissent. Et quoniam etiam in Antiochenis canonibus III. IX. XXI. XXIII. XXIV. commemorantur: *κανὼν ἐκκλησιαστικὸς, ἀρχαῖος τῶν πατέρων ἡμῶν κανών, θεσμοὶ ἐκκλησιαστικοὶ, ὅρος.* inde duntaxat concludere possumus, quod episcopi his canonibus constituunt, non novum esse, sed statutis et moribus ecclesiae consentaneum, ac longo usu jam approbatum. Hoc sensu jam in can. XXI. Ancyrano episcopi respiciunt ad antiquam definitionem (*ὁ μὲν πρότερος ὅρος — ἐκώλυσεν*) quam humanitatis ratione mutaverunt. Ac in canone ult. Neocaesar. legitur: *Διάκονοι ἑπτὰ ὀφείλουσιν εἶναι κατὰ τὸν κανόνα,* quamvis magna sit civitas, idque auctoritate actuum Apostolorum. Deinde in can. XXI. Gangrensi: *παρὰ τὰς γραφὰς καὶ τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς κανόνας καὶ νεωτερισμοὺς εἰσάγοντας.* Eadem in fine ejusdem canonis

sibi juxta ponuntur: *τὰ παραδοθέντα ὑπὸ τῶν θείων γραφῶν καὶ τῶν ἀποςολικῶν παραδόσεων.* Similesque allegationes in conciliis Africanis, in concilio Ephesino et Chalcedonensi solennes, quoniam ad disputationis nostrae consilium non attinent, silentio transeundas censui. Nullum repererunt viri docti monumentum antiquius his conciliis, quod canonem aut definitionem illam contineat. Ideoque arduum est, ex his verbis concludere, canonem in primis conciliis citatum referendum esse ad canones Apostolorum. Atque ex talibus effatis certe falsarius occasionem arripuit, ut quod ibi constitutum esset colligeret, aliisque singularibus placitis auctum quasi corpus canonum Apostolorum compilaret. Omnes enim canones Antiocheni citati in hos canones migrarunt, nempe in can. IX. XVI. XVIII. XXXV. XIV. LXXV. et XLII.

Ceterum tamen defensoribus priscorum canonum hoc concesserim, fieri potuisse, ut in conciliis Asianis de Paschatis tempore constituendo, et in Romanis et Africanis de baptismo haereticorum, atque

in aliis fortasse episcoporum conventibus, quorum memoria ad nostra tempora non pervenit, identidem canones statuerentur, qui tamen in ecclesia universa nunquam vim legis obtinuerint, ideoque oblitterati sint. Atque si quos ejus generis Patres forte respexerint, ii non ad jus scriptum referri possunt, sed ad traditionem et mores pertinent. Quale etiam est effatum Athanasii in epistola ad Orthodoxos, asserentis Georgium contra priscos canones ecclesiasticos jussu comitis in ecclesiam Alexandrinam intrusum esse. Sed paululum moremur circa Athanasii dictum, quod Beveregius momenti tam gravis in causa nostra esse judicavit, ut tanquam symbolum in fronte libri sui inscribere non dubitaret. Obsecrat omnes fideles, ut contra communem injuriam communem opem conferant, *ἵνα μὴ δι᾽ ὀλίγου οἱ ἐκκλησιαστικοὶ κανόνες καὶ ἡ τῆς ἐκκλησίας πίστις παραφθαρῇ*, fidem enim et canones in periculo esse. Tum pergit: *οὐ γὰρ νῦν κανόνες καὶ τύποι ταῖς ἐκκλησίαις ἐδόθησαν, ἀλλ᾽ ἐκ τῶν πατέρων ἡμῶν καλῶς καὶ βεβαίως παρεδόθησαν· οὐδὲ*

νῦν ἡ πίστις ἤρξατο, ἀλλ' ἐκ τοῦ κυρίου διὰ τῶν μαθητῶν εἰς ἡμᾶς διαβέβηκεν. vid. Athanasii Opera. edit. nova juxta Parisinam a. 1626. Coloniae 1686. T. I. p. 943.

Ergo in hac Athanasii epistola nullum canonum Apostolicorum vestigium deprehendis, sed hic agitur de fide a Christo per Apostolos tradita et de ordine ecclesiastico servandis atque tuendis.

Denique et alia argumenta pro sententia nostra militantia afferre potuissemus, si pluribus opus fuisset. Ut ecce celeberrima est epistola Innocentii I. ad Victricium (Hisp. Coll. Victoricum) Rothomagensem anno CCCCIV scripta [1]), et in Hispanam quoque collectionem relata; qua epistola Papa complura docet, commonet, praecipit, quae ex usu ecclesiae Romanae depromta sunt. Utitur autem in prooemio his verbis: Non quo nova praecepta aliqua imperentur, sed ea quae per desidiam aliquorum neglecta sunt, ab omnibus observari

1) In Mansii ampliss. collectione Conciliorum T. III. col. 1033.

cupiamus; quae tamen Apostolica et Patrum traditione sunt constituta. Scriptum est enim ad Thessalonicenses Paulo monente [1]): State ac tenete traditiones nostras, quas tradidi vobis, sive per verbum, sive per epistolam. Et in capite I. III. VI. diserte laudat statuta Nicaena, quibus sua praecepta confirmat, nusquam vero meminit canonum Apostolorum, quamquam, quae cap. I. II. III. V. VI. aliisque docet, etiam definita sunt in canonibus Apostolicis can. I. LX. XXXIII. XXXV. XII. aliisque. Unde nova ratio apparet, in Romana saltem ecclesia initio saeculi V. canones Apostolicos nondum usurpatos esse.

Quodsi denique consideremus, quanta religione traditiones antiquas suspicere soliti sint scriptores illius aevi, et quantam tribuerint vim auctoritatibus scriptis ad confirmandas traditiones: facili negotio intelligemus, quomodo e. gr. Hieronymus

---

1) Epistola II. ad Thessalon. c. 2. v. 15.

(Epistola XXVIII. ad Lucinium, in Operibus a Mariano Victorio editis, ed. Coloniensis a. 1616. p. 70. F.) docere potuerit: Unaquaeque provincia . . . . . praecepta majorum leges Apostolicas arbitretur. Non mirum itaque est, tam multa commentitia vetustatis monumenta jam hac aetate ab otiosis monachis et furentibus haereticis excogitata esse.

Itaque ex his, quae adhuc disputata sunt, concludimus: nullum quidem certum atque indubitatum vestigium deprehendi, canonum Apostolorum collectionem extitisse ante saeculum quintum, attamen circa medium hoc saeculum in ecclesia graeca eam jam in usu esse coepisse. Licet enim articulum in Concilii Ephesini actione VII. ubi Cypri episcopi dicunt: Se vim passos esse ab Episcopo Antiocheno, eumque episcopos insulae Cypri coegisse, ut se ipsi subjicerent contra apostolicos canones et definitiones sanctissimae Nicaenae synodi. (vid. apud Mansium T. IV. col. 1465.) quod diserte prohibitum cernimus in canone Apostolorum

XXXIV. [1]) aut interpolatum aut oscitanter latine redditum contra Turrianum et Beveregium reliquosque, Dallaeo graeci contextus [2]) auctoritate contra nitenti [3]) concesserim, et cogitasse Ephesinos de canone Antiocheno XIII. posuerim; licet quoque Chalcedonenses patres, ubi can. II. *ἐκκλησιαστικοὺς θεσμοὺς* commemorant, haec statuta non necessario ad can. XXIX. et XXXIII. Apostolorum retulisse, sed cum Balsamonis scholiis in can. XII. ad can. Nicaenos VI. et VII. et Constantinopolitanum can. II, atque in canone Chalcedon. XXII. non ad Apostolorum can. XXXIX, sed ad Antiochenum XXIV respexisse dederim: tamen si quis voces: *τοὺς πάλαι κανόνας* in actione IV. et

---

1) *ἐπίσκοπον μὴ τολμᾶν ἔξω τῶν ἑαυτοῦ ὅρων χειροτονίαν ποιεῖσθαι εἰς τὰς μὴ ὑποκειμένας αὐτῷ πόλεις καὶ χώρας.*

2) Habent enim graeca exempla in decreto de illa relatione haec verba: *πρᾶγμα παρὰ τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς θεσμοὺς, καὶ τοὺς κανόνας τῶν ἁγίων πατέρων καινοτομούμενον.* vid. Mansius T. IV. col. 1469. Et quoniam relationis istius textus graecus desideratur, lectio, quae respondeat huic decreto, magis mihi probatur.

3) Cf. Dallaeus de Pseudepigraphis Apostolicis. p. 534.

XI. concilii Chalcedonensis obvias [1]), ad canones Apostolorum circa hoc tempus, certe non longe posthac collectos, quam ad canones Antiochenos retulerit, non repugnarem. Verum postquam Acta concilii Ephesini iterum curiosius perlegi, quosdam ex canonibus Apostolicis jam tum in usu fuisse mihi fere persuasum est. Episcopis orthodoxis a Cyrillo stantibus maximopere cordi erat, ut Nestorii condemnationem quacunque ratione ad juris regulas redigerent. Itaque Theodotus, Ancyrae episcopus monuit, ut priusquam synodus de Nestorii

---

1) Vid. etiam can. XXII. h. concilii apud Mansium T. VII. col. 368. Certum tamen can. XXXIX. (XL.) Apostolici vestigium hic non latere, manifestum est: etenim can. Apost. non idem constituit, quod hoc loco statutum est, sed inter bona episcopi et ecclesiae tantum distinguit, cum can. Chalcedonensis bona episcopi defuncti rapere prohibeat. Quamobrem hunc locum ad canonem Antiochenum XXIV. retulerim. Accedit, quod in textu, quem Beveregius exhibet (in Synodico Tom. I. p. 138.) hae voces desiderantur, neque Zonaras neque Balsamon eas sistunt. Ergo Beveregius etiam hoc loco nimis tribuisse praejudicatae suae sententiae mihi quidem videtur. Cf. etiam adnot. Beveregii ad can. XL. Apostolicum in appendice ad T. II. Synodici p. 28.

haeresi ageret, eum libello misso (*παραγνωςικῷ*) denuo citarent. [1]) Deinde Nestorius Flaviano Philippensium episcopo monente tertium vocatur, ut nihil eorum, quae ad ecclesiasticum ordinem (*ἀκολουθίαν ἐκκλησιαςικὴν*) pertinent, praetermitteretur. [2]) Porro in epistola, qua citatur reus, scribunt, se canoni obtemperantes (*τῷ κανόνι ὑποταττομένη ἡ ἁγιωτάτη σύνοδος*) tertio Nestorium sisti jubere. [3]) Postremo quidem hac occasione multoties commemorantur: *ἐκκλησιαςικοὶ θεσμοὶ, τῶν κανόνων τάξις*. [4]) Sed has canonicas sanctiones, quibus dijudicetur doctrina Nestorii, quaeque a Notario in medium feruntur, symbolum Nicaenum esse apparet. Itaque ex his locis vix quidquam ad explorandam originem canonum Apostolorum repetieris. Verum, quod jam indicavi, tamen ex prioribus locis, quibus addi

1) Concilium Ephesinum I. Actio. I. apud Mansium T. IV. col. 1129. et 1132.

2) Vid. Mansius T. IV. col. 1133.

3) Ibidem col. 1136. et 1137.

4) Ibid. col. 1212. et 1228.

potest ex relatione episcoporum de Nestorii dejectione ad Imperatores missa locus [1]), consequi videtur, regulam de trina vocatione accusati tunc temporis indubitatam fuisse. Utrum vero haec regula ex canone Apostolico LXXIII. allegata sit, an hic canon ex regula consuetudine approbata natus sit, neque negare neque affirmare ausim. Idem statuendum mihi esse videtur, de eo, quod in epistola episcoporum Epheso Constantinopolim missorum ad Rufum data [2]) legitur, quod cum can. XXXI. Apostolico convenire manifestum est. Ceterum huic disputationi nostrae etiam epistolarum Leonis, quibus Beveregius pro defendenda sua sententia multum tribuit, brevem excussionem adjecissemus, nisi jam Dallaeus p. 538 — 547. levia sane illius argumenta victricibus armis profligavisset, nobisque longum esset, in hac causa tam pertractata diutius immorari.

His expositis jam nihil restat, nisi ut brevem hujus collectionis historiam ad-

1) Ibidem col. 1237.

2) Actioni VI. inserta. Ibidem col. 1416.

umbremus, ac varias scriptorum sententias perpendamus.

Canones Apostolorum partim ex usu ecclesiarum orientalium et ex placitis Patrum, partim ex canonibus Nicaenis, Antiochenis, Gangrensibus et Laodicenis in Oriente collecti [1]), tantam in ecclesia graeca auctoritatem nacti sunt, ut hodieque quasi genuinum opus ab Apostolis traditum observentur. Primum certo haec collectio commemoratur a Gelasio Papa in concilio LXX episcoporum Romae a.

1) Neque ergo Albaspinaeo (in Observationibus ecclesiasticis lib. I. cap. 13.) hos canones pedetentim primo et secundo saeculo maximam partem ab Apostolicis viris compositos esse asserenti, neque Beveregio et Du Pinio in Bibliotheca ecclesiastica Tom. I. omnibusque fere recentioribus, e. c. Waltero (Lehrbuch des Kirchenrechts. ed. 3. p. 96.) Langio (Geschichte d. Kirchenrechts. 1827. p. 28.) Drostio (Grundsätze d. Kirchenrechts. 1828. p. 47.) minime omnium Hasio affirmanti, hos canones traditionem apostolicam explicare, assentire possum. Vid. de jure ecclesiastico commentarii historici. Lipsiae. 1828. p. 30. Cautius et quo solet delectu Bienerus l. l. p. 9. paucis verbis Beveregii sententiam tuetur.

494. habito [1]), et apocryphis libris adnumeratur. [2]) Quodsi ad ecclesiam graecam respicimus, eam quidem praesertim Constantinopolitanam collectiones actorum et deinde etiam canonum curiose asservasse, ex actis conciliorum intelligitur. Etenim ex Actis concilii Chalcedonensis apparet, jam tum collectionem canonum fuisse, una numerorum serie omnes, qui exstabant, complectentem [3]), quam etiam Jo-

---

1) Hoc Gelasii Decretum in Hispana canonum collectione ultimum locum occupat, nempe num. CIII. in edit. Matritensi Gonzalezii, et inscriptum est: Decretale in urbe Roma ab Hormisda Papa editum, de scripturis divinis quid universaliter catholica recipiat ecclesia, vel post haec quid vitare debeat. Apud Mansium dicitur concilium Romanum I., vid. T. VIII. col. 145—151. et apud Gratianum c. 3. Dist. XV. sed ad hoc postea revertemur.

2) Can. 3. §. 64. Dist. XV.

3) Allegantur et leguntur: can. LXXXIII. can. LXXXIV. qui sunt canones Antiocheni IV. et V; can. XCV. can. XCVI. seu can. XVI. et XVII. conc. Antiocheni; can. VI. (potius IV. ut Labbeus recte observavit) qui est can. Nicaenus IV. et rel. cf. Mansius T. VII. col. 84. 281. et 284. 308. et in Labbei Collectione T. IV. col. 537. 538. 692. 712. 713.

annes Antiochenus in Praefatione commemorat. Sed in hac collectione canones Apostolorum nondum fuisse, ex numerorum computatione exploratum agnitumque est. Utrum vero collectores, qui a Joanne Antiocheno, collectiones secundum ordinem rerum in LX titulos distinctas haud ita pridem concinnasse perhibentur [1]), etiam canones Apostolorum receperint, dubitari potest: ex eo enim, quod priorem collectorem reprehendit, quia is Basilii epistolas canonicas non receperit, de canonibus autem Apostolorum nihil

1) Haec collectio injuriam temporum non tulit; ea vero quam Petrus de Marca (in Opere de Concordia Sacerdotii et imperii lib. III. cap. 3. num. 8. edit. Boehmerianae. col. 223.) auctoritate unius codicis in bibliotheca regia Paris. qui inscriptus est: *Συναγωγὴ τῶν κανόνων Θεοδωρήτου ἐπισκόπου Κύῤῥου*, antiquam illam collectionem esse, asseruerat, non diversa est ab ea, quam Justellus edidit, nempe Joannis Antiocheni. Idque Beveregius auxilio codicum imprimis Oxoniensis exploravit. (Praefatio ad Adnotationes num. II.) Errorem Petri de Marca Douiatius, ut solitum viro caeteroqui doctissimo est, suum fecit in Praenotionibus lib. III. c. 5. et 9. §. 8. atque inde is inter omnes fere usque ad nostra tempora divulgatus erat.

commemorat, conjicere licet, Joannem hos canones in priore collectione jam invenisse.

Eodem tempore etiam Justinianus imperator in const. 45. C. de episcopis et cler. clericos contemtis canonibus filios generare conqueritur: sed cum simul canonibus conciliorum vim atque auctoritatem legum civilium tribuat, equidem de canone Apostolorum, qui religionis obtentu uxorem derelinqui prohibet, eum non cogitasse suspicor. Porro idem Justinianus in Nov. VI. praef. ad canones Apostolorum respexisse dicitur, quod et ipsum tamen non ita expeditum esse mihi videtur: nam imperator curam de dogmatibus et clericorum honestate ostentans tantummodo dicit, si sacri canones, quos merito laudandi atque venerandi Apostoli tradiderint, et sancti patres custodierint et explanaverint, observentur, omnia recte geri. Quae verba etiam sic accipere licet, imperatorem episcopis, ut praecepta Apostolorum et conciliorum canones observarent, commendare voluisse. [1])

1) Cf. Nov. VI. cap. 1. §. 8.

Denique imperator in Nov. CXXXI. cap. I. diserte canonibus conciliorum quatuor generalium iisque, qui ab his confirmati sunt, legis vigorem impertivit. Cum autem canones Apostolorum his conciliis nondum confirmati essent, nec a Justiniano vim legum eos jam obtinuisse, censendum est.

Praeterea concilium quod Graecis sextum, nobis vero quinisextum s. Trullanum (licet et sexta synodus a. 680. in Trullo congregata sit) dicitur, congregatum a. 692. in canone II. sancit, ut canones, qui Apostolorum nomine traditi sint, firmi stabilesque maneant. Denique Joannes Damascenus (qui obiit c. a. 754.) de fide orthodoxa lib. IV. c. 18. nostros canones in catalogum librorum canonicorum recepit.

Hactenus de fatis hujus collectionis in ecclesia graeca, nunc ad latinam veniamus.

Hic ego a Decreto Gelasii exordium faciens, dissimulare non possum, valde hoc decretum mihi suspectum videri. Nam ut

hoc unum moneam, in collectione Hispana, cui maxima auctoritas tribuenda est, ultimo loco positum et novissime tanquam appendix adjectum invenitur. Si autem revera a Gelasio profectum esset, nonne a successoribus, quibus cum Hispanis conjunctio non interrupta erat, his transmissum propter rei gravitatem, et suo loco in codice collocatum esset? Deinde in codicibus Hispanis antiquissimis nullo excepto adscribitur hoc decretum Hormisdae; nec tamen inter reliquas epistolas Hormisdae, sed demum post Vigilii et Gregorii junioris epistolas legitur; atqui Hispanam collectionem in epistolis Gregorii finiri compertum est. Accedit, quod in duobus codicibus Isidorianis bibliothecae Parisinae Collegii Soc. Jesu vetustissimis, teste Harduino, D a m a s o tribuitur, et quod Baronius ad a. annum 69. partem hujus decreti exhibet ex concilio Romano sub D a m a s i nomine in Cresconiana collectione comprehensam; in codice Jurensi, qui Hispanam collectionem complecti videtur, H o r m i s d a e adsignatur, teste Lab-

beo. In aliis libris manu scriptis hanc habet inscriptionem: Notitia sacrarum scripturarum seu librorum canonicorum cum descriptione et adnotatione Gelasii Papae; ita quoque in codice MSto Harduini.

Describitur haec tractatio nullo nomine inscripta primum ab Aldhelmo (qui obiit init. saec. VIII. in Anglia) in libro de laude virginitatis cap. XI.; deinde inscripta Gelasio ab Hincmaro Rhemensi; praeterea a Nicolao papa laudatur in epistola XLII. ad episcopos Galliae circa a. 865. et in chronico Centulensi apud Dacherium in Spicilegio T. IV. [1])

Quid denique de episcopis LXX vel LXXII dicam, qui teste Pearsonio erudi-

---

1) Conf. Mansius T. VIII. col. 145—172. et col. 531. B. Ibique observationes Binii et Labbei; item animadversiones doctissimas Pagii ibidem col. 173. Qui tamen omnes genuinum esse hoc decretum evincere student.

In collectione Pseudo-Isidoriana ex editione Jacobi Merlini. Coloniae. 1530. fol. CCXLIII. vers. hic est titulus: Incipiunt Decreta Gelasii papae. Decretum cum LXX episcopis habitum de apocriphis scripturis.

sissimi in vetustissimo aliquo codice, (quod loquendi usui ecclesiastico prorsus repugnat) dicuntur; nonne numerum discipulorum Christi in his episcopis conspicis? Et unde illa tempestate (a. 494.) LXX illi Romam convenire potuerint? cum totus fere orbis terrarum aut sub paganorum aut haereticorum principum dominatione oppressus jaceret: Anastasius enim Imperator Eutychianus, Theodoricus cum Gothis Arianus, Chlodovicus adhuc ethnicae superstitioni cum Francis deditus erat. In infaustissimum ergo tempus Papa incidit, cum de catalogo totius literaturae christianae elaborando cogitaret.

Postremo Dionysius, qui Romae suam Decretalium collectionem instituit, et quidem vix decennio post Gelasii mortem, quanquam in praefatione dicit: qua valui cura diligentiaque collegi .... singulorum Pontificum quotquot a me praecepta reperta sunt [1]), ne-

1) Cf. Praefatio Dionysii ad collectionem Decretorum in Bibl. jur. can. vet, Vol. I. p. 183. et apud Mansium T. I. col. 4.

que exhibet hoc statutum neque commemorat. Quamobrem cum neque Dionysium hoc decretum non novisse, si in concilio Romano a. 494. editum esset, neque si novisset, illud neglexisse existimari possit [1]), nondum extitisse dicendum est. Sed haec jam sufficiant, ut mihi, donec aliquis meliora proferat, hoc decretum suppositium esse, et sub initium quidem saeculi VIII. a. falsario excogitatum sumam.

Quae cum ita sint, facili negotio perspicimus, quemadmodum Dionysius Exiguus, homo pius, beneficiorum et praeceptorum memor, tamen decretum Papae

---

1) Quo animo Dionysius erga Gelasium fuerit, ex hac laudatione ejus elucet: ,,Quantique sit apud Deum meriti beatus Papa Gelasius, et nos qui eum praesentia corporali non vidimus, per vos alumnos ejus facilius aestimamus. Cujus eruditione formati gradum presbyteri sancta conversatione decoratis, ut in vestrorum morum perspicuo munere ejus videatur quodammodo actio praelucere. etc. etc. Vid. Praef. ad Julianum presbyterum in Bibl. jur. can. vet. T. I. p. 183. et apud Mansium T. I. col. 4.

Ad haec animadvertendum est, Gelasium obiisse a. 496. et Anastasium II. cujus epistolis collectionem Dionysianam constat finiri, ejus successorem esse.

et LXX episcoporum ita negligere potuerit, ut ne verbo quidem ejus mentionem injiceret. Nullum enim erat decretum, et Dionysius primus in ecclesia Romana canones Apostolorum commemoravit et promulgavit. Perfecit hunc laborem, ut ex epistola ejus ad Petronium episcopum, quam Petavius in aliquo MSto codice invenit, et ad calcem operis de ratione temporum primus edidit, conjici potest, ante annum DXXV. [1]) Etenim in hac epistola ita legitur: „In praesenti namque tertia indictio est, Consulatu Probi junioris tertius decimus circulus, decemnovalis decimus lunaris est." Apparet igitur, eum hanc epistolam eodem anno scripsisse, quo etiam cyclum suum paschalem instituit, id est aerae vulgaris anno DXXV. Indictione III. aureo numero XIII. Deinde in eadem epistola latine allegat canonem LXXIX. iisdem verbis, quibus in versione sua legitur, addens hunc primum esse

1) Cf. Beveregius in Praefatione Adnotationum ad canones Apostolorum.

Antiocheni concilii. Unde hoc anno versionem latinam jam perfectam fuisse, conjicere licet. Porro in Praefatione Decretorum ad Julianum presbyterum [1]) ait, se Pontificum decreta collegisse atque in ordinem redegisse, eo modo quo dudum de graeco sermone Patrum transferens canones ordinaram. Hinc patet, Dionysium non in unam collectionem et conciliorum canones et pontificum decreta redegisse, sed illos jam diu absolutos fuisse, cum haec decreta colligeret et latina redderet. Atqui hic Julianus, presbyter titulo sanctae Anastasiae, ut dubitare non licet, idem est, cujus nomen in actis conciliorum a Felice III. a. 487. [2]) et a Symmacho annis 499. et 502. Romam convocatorum commemoratur [3]): efficitur ergo, Dionysium canones Apostolorum circa initium saeculi sexti in ecclesiam latinam intulisse.

---

1) In Voelli et Justelli bibliotheca. Vol. I. p. 183.

2) Vid. apud Mansium T. VII. col. 1172.

3) Vid. in Bibl. jur. can. vet. T. I. p. 260. et 261.

Jam quaerat fortasse quispiam, num Dionysius canones Apostolorum genuinos esse existimaverit, quippe qui hunc iis titulum praefixerit: „Incipiunt regulae ecclesiasticae sanctorum Apostolorum, prolatae per Clementem ecclesiae Romanae pontificem.“ 1) In aliis libris: „Canones Apostolorum sanctorum et omni veneratione prosequendorum,“ quae lectio graeco loquendi usui magis accommodata mihi videtur. In aliis iterum: „Incipiunt canones Apostolorum per Clementem Papam prolati,“ et similiter omnes fere codices mirum in modum variant. 2) Sed jam ex hac diversitate suspicio nascitur, hos titulos non ab ipso Dionysio sed a librariis praefixos esse; idque extra omne dubium ponitur, cum Dionysii praefationem ad Stephanum Salonitanum episcopum perlegimus, quae sic habet: 3) „In principio itaque canones,

1) Ibidem p. 112.

2) Vid. Harduinus, et Mansius in Ampliss. Conc. Collect. T. I. p. 49. et Merlini collectio, fol. II.

3) In Bibl. jur. can. vet. T. I. p. 101. apud Mansium T. I. col. 3.

qui dicuntur Apostolorum, de graeco transtulimus: quibus quia plurimi consensum non praebuere facilem, hoc ipsum vestram noluimus ignorare sanctitatem: quamvis postea quaedam constituta pontificum ex ipsis canonibus adsumpta esse videantur." Itaque Dionysium non fugit, hos canones non ab Apostolis ipsis esse profectos, sed eos nomen tantum Apostolorum gerere. Neque probari potest, falsarium sagacissimum, quem Pseudo-Isidorum vocamus, a Dionysii sententia recessisse: in praefatione enim celeberrima, quae, quod hodie demonstrare possumus, exceptis iis, quae ipse falsarius intexuit, consuta est ex praefatione Dionysiana et ea, quae ex Isidori Hispalensis Etymologiarum libro VI. cap. 16. usque ad voces: „in hoc corpore (al. opere) condita continentur," petita, Hispanae collectioni anteposita est, de canonibus Apostolicis in hunc modum auctor loquitur: „In principio vero voluminis et rel. denique propter eorum auctoritatem ceteris conciliis praeposuimus canones, qui di-

cuntur Apostolorum, licet a quibusdam apocryphi dicantur, quoniam plures eos recipiunt, et sancti patres eorum sententias synodali auctoritate roboraverunt, et inter canonicas posuerunt constitutiones." [1]) Hoc caput ex Dionysii praefatione, interjectis quibusdam verbis praefationis Hispanae collectionis, haustum esse, apertissimum est. In collectionem denique Hispanam nunquam se insinuare potuerunt: Isidorus enim Hispalensis in antiquitatum studiis versatissimus, de iis sic loquitur: [2]) „In principio autem hujus voluminis Nicaenam Synodum constituimus . . . . Canones autem, qui dicuntur Apostolorum, seu quia eosdem nec sedes apostolica recipit, nec sancti Patres illis consensum praebuerunt, pro eo quod ab haereticis sub nomine Apostolorum compositi dignoscuntur, quamvis in eis quae-

1) Vid. editio Merliniana et Mansius T. I. col. 6. cf. etiam c. 4. Dist. XVI.

2) Vid. editio Matritensis Gonzalesii a. 1808. et Balleriniorum dissertatio. T. III. cap. 4. §. 2. ex edit. Gallandii Veneta p. 198. conf. c. 1. Dist. XVI.

dam inveniantur utilia, auctoritate tamen canonica atque apostolica eorum gesta constat esse remota, et inter apocrypha reputata." [1]) (Baller. et Grat. deputata.)

Ergo Dionysius canones Apostolicos primum latinos reddidit et collectioni suae praefixit, numerorum serie a sequentibus ita distinctos, ut post quinquagesimum canonem series numerorum iterum a numero primo, can. I. Nicaeno tributo, incipiat. [2])

De Titulis horum canonum certam sententiam proferre haud ausim. Dionysius ita de iis loquitur, ut ex ejus verbis eos jam antea extitisse conjicias: „Uni-

1) Hoc caput praefationis Hispanae collectionis, quod incipit a verbis: In princio autem hujus voluminis, et explicit in voce reputata, auctorem, quisquis is fuerit, non ex Isidori Etymologiarum lib. VI. cap. 16. ex quo reliqui hujus praefationis articuli emanaverunt, petiisse, sed (si modo auctor collectionis non idem Isidorus Hispalensis fuit) suo ingenio respectu tamen habito ad praefationem Dionysii confecisse, facile observari potest.

2) Vid. Titulorum conspectum in biblioth. jur. can. vet. T. I. p. 102. et ipsos canones. p. 112—116.

versarum, inquit, definitionum titulos post hanc praefationem strictius ordinantes, ea quae in singulis sparsim promulgata conciliis, sub uno adspectu locavimus, ut ad inquisitionem cujusque rei compendium aliquod attulisse videamur." [1]) Quodsi tamen consideramus, in graecis editionibus has singulorum canonum inscriptiones seu titulos non reperiri, nec Zonarae et Balsamoni eas cognitas fuisse, nec ullam versionem ante Dionysianam horum canonum exstitisse: a vero non abhorruerit, si hos definitionum titulos non solum in ordinem dispositos atque uni conspectui a Dionysio subjectos, sed ab eodem etiam inventos esse statuamus.

Quaestionem de numero canonum, qui fuerint Dionysii tempore, tantis difficultatibus, quantas plerique hic invenerunt, implicatam non esse censeo. Constat Joannem Antiochenum LXXXV, Dionysium vero L tantum habere. Ergo Dionysii tempore

---

1) Cf. Praefatio Joannis Antiocheni in Bibl. jur. can. vet. Vol. II. p. 500.

Graecis LXXXV cogniti erant, ipsum autem non plures in codice suo graeco [1]) invenisse, inde concludi potest, quod plures quam hos quinquaginta non vertit, nec de pluribus quidquam commemorat; sed ita loquitur, ac si nullus dubitet, hoc numero corpus canonum perfici. Ergo vana est opinio eorum, qui ultimos XXXV canones pejoris notae, aut recentioris aetatis, aut ab haereticis corruptos et ab ecclesia Romana rejectos autumant; mihi persuasissimum est, ecclesiam Romanam nulla alia de causa hos L duntaxat canones usurpare, nisi quod Dionysius Exiguus

---

1) Quamvis huic sententiae gravissimi viri Dallaeus Lib. III. c. 11. et 12. et Petrus de Marca in Diss. de concord. sacerd. et imp. lib. III. c. 2. Beveregius in codice eccl. primit. p. 24. horumque auctoritate plerique recentiores adversentur, tamen ob rationes supra propositas iis assentire nequeo. Certe quod Albaspinaeus in observationum lib. III. c. 13. demonstravit, can. LI. et LXI. usui ecclesiae antiquae repugnare, et certe ante medium saeculum III. i. e. Cypriani aetatem nondum excogitatos fuisse: idem argumentum etiam de quibusdam aliis ex prioribus valet, e. gr. XLII. XXXVII. XL. XXXIII.

in graeco exemplari nullos alios praeter hos invenerit, atque collectio Joannis Antiocheni, quae fortasse tum nondum composita erat, Romanis non patebat.

Licet de usu et propagatione universae collectionis Dionysianae sequenti demum capite dicetur, hic tamen canonum Apostolorum historia, quam enarrare coepimus, ulterius persequenda est. Primus igitur inter pontifices Romanos eorum auctoritate usus est Joannes II. in epistola ad Caesarium Arelatensem a. 534. scripta, ubi inter canones, quibus in causa Contumeliosi judicaretur, etiam canones Apost. XXV. et XXIX. ex interpretatione et cum titulis Dionysii inseruit. [1]) Deinde Zacharias Papa (ab a. 741.) in epistola ad Pipinum Majorem domus et episcopos, abbates et proceres Francorum de quaestionibus sibi per Ardobanium a Pipino missis, XXVII capitibus respondens can. Apost. XXXV. XXIX. XLVIII. XV. XVI. XXVII. XXXIV.

1) Apud Mansium T. VIII. col. 810.

allegat. [1]) Porro Leo IV. (a. 847.) in epistola [2]) ad episcopos Britanniae, qua eos inter alia docet, ex quibus decretis de episcopis judicari debeat, inter canones conciliorum juxta collectionem Dionysianam primo loco recenset canones Apostolorum. Quod caput interpolatis nonnullis articulis legitur apud Gratianum c. I. D. XX.

Quemadmodum vero postea Romani hanc rem in commodum suum verterint, primum Leonis IX. Papae legatus ostendit Humbertus in disputatione de jejunio sabbathi contra Nicetam Pectoratum Constantinopoli (anno 1054.) habita, argumenta ex Apostolorum canonibus petita eo confutans, quod hos canones a Patribus repudiatos et inter apocryphos numeratos esse, ait, exceptis capitulis L, quae orthodoxae fidei adjungenda decreverint. [3]) Cum quo consentit Urbani II. epistola

1) Vid. Mansius T. XII. col. 326 — 334.

2) Vid. Mansius T. XIV. col. 884.

3) Can. III. D. XVI. ubi hoc caput Leoni IX. adscribitur.

Praeposito S[ti] Juventii scripta, a Gratiano ex maxima parte ad can. VI. D. XXXII. relata: Canones apostolorum, quorum auctoritate . . . . . ex parte romana utitur ecclesia.

Ex Dionysiana collectione deinceps hi L canones migrarunt in Cresconii Concordiam Canonum c. a. 690, in collectionem Isidori Mercatoris, circa finem saeculi VIII., in Reginonis Prumiacensis (qui obiit a. 915.) libros II de disciplina ecclesiastica, atque in Burchardi (qui obiit a. 1025.) Wormaciensis Decretorum libros XX, et in Jvonis (qui obiit 1115.) Carnotensis Pannormiam sive Decretorum librum, nec non in ejusdem Decretum.

Denique Gratianus monachus et eruditionis et criticae artis omnium maxime expers hos Canones, in introductione ad Dist. XVI. opinionem eorum sequutus, qui a Clemente Romano eos prolatos (Gratianus autumat: translatos) esse existimaverint, partim mutilos, partim contractos, partim integros ex Burchardo et Jvone et Codice Dionysii desumtos suae Concor-

diae discordantium canonum interseruit. [1])

---

1) En capita Gratiani ex Apostolorum canonibus depromta:

c. 14. Dist. XXVIII. refert sententiam can. VI. Apostolici, anathema adjiciens.

c. 1. Dist. XXXIII. totum can. Apost. XVII. exhibet.

c. 15. Dist. XXXIV. est can. Apost. XVIII.

c. 1. Dist. XXXV. complectitur canones Apost. XLII. et XLIII.

c. 7. Dist. XLV. est can. Apost. XXVIII.

c. 1. Dist. XLVII. est can. Apost. XLIV.

c. 4. Dist. LV. comprehendit can. Apost. XXII. et XXIII.

c. 8. Dist. LV. est can. Apost. XXI.

c. 12. Dist. LXXXI. est can. Apost. XXV. omissa tamen voce: Episcopus, quia fortasse Gratiano contra reverentiam episcopo debitam pugnare videbatur hoc statutum. Praeterea ex concilio Triburiensi vox homicida intrusa est.

c. 3. Dist. LXXXVIII. est can. Apost. VII.

c. 21. C. XII. qu. 1. est can. Apost. XL. at non conjunctus cum praecedente ut apud Dionysium, quamvis Dionysianam versionem exhibeat, sed secundum distinctionem graeci textus. Unde suspicor, non omnes codices Dionysianos eandem divisionem canonum habere, quam nunc in Bibl. jur. can. vet. et in Pseudo-Isidoriana collectione conspicimus.

c. 22. C. XII. qu. 1. est ultima periodus can. Apost. XLI.

c. 14. C. XVI. qu. 7. est can. Apost. XXXI.

Postremo varias scriptorum sententias hic adjicere placet [1]), quas ut refellamus si ea, quae luculentius jam explicavimus, vera sunt, vix opus esse videtur.

Inter occidentalium ecclesiarum scriptores Franciscus Sixtus Senensis in Bibliotheca Sancta a. 1566. edita lib. II. in cap. de Clemente, primus fuisse videtur, qui auctoritatem canonum Apostolorum indubitatam et receptam esse, quoniam „Athanasius inter hagiographa eos numeraverit," asserere non dubitaret. Eodem tempore Guilielmus Lindanus (obiit enim a. 1585.) in Chronol. Panopliae Evangelicae praefixa, hos canones Apostolis tribuit. Item Alphonsus Salmeron, unus ex decem primis

c. 62. Dist. I. de Consecr. est can. Apost. X. at interpolatus a Gratiano.

c. 79. Dist. IV. de Consecr. est can. Apost. L.

1) Quamvis Cardinalis de Aguirre in Collectione maxima Conciliorum Hispaniae T. I. Dissert. 1. 2. et secundum eum Jo. Georg. Portsch (Kurze Historie des Kanon. u. Kirchenrechts. 1753. p. 24 — 28.) talem recensum adornare studuerint, tamen ne haec dissertationis pars ex abundanti adjecta hujus rei peritis videatur, haud vereor.

Ignatii Loyolae sociis, (qui obiit a. 1585.) in Operibus T. II. Tractatu 44; et Lambertus Gruterus in praefatione editionis Operum S. Clementis pontificis Romani. Coloniae 1570; denique Carolus Bovius in editione p. 14. citata eandem sententiam pronuntiant; in quam postea etiam Bellarminus, de Scriptoribus Ecclesiasticis in cap. de Clemente Romano, et Possevinus in Apparatu sacro pedibus ierunt, existimantes tamen, XXXV posteriores canones post Dionysii aetatem demum accessisse, neque interpolationis suspicione carere. Eaque ratione Bellarminus Gelasii decretum cum sententia sua et usu ecclesiae conciliare sibi visus est, dum Gelasium non de XXXV canonibus posterioribus, sed tantummodo de prioribus genuinis locutum esse fingit. Sed haec scriptorum classis non veritatis investigandae studio, verum heterodoxorum odio ducta fuisse mihi videtur: confirmant enim opinionem eo argumento, quod Sixtus Senensis ex Athanasio in medium protulerat, licet ignorare non debebant homines ec-

clesiastici, in tota Athanasii synopsi ne mentionem quidem dicti a Sixto allegati inveniri.

Franciscus Turrianus vero graviore argumentorum mole contra Centuriatores Magdeburgenses, qui hos canones non solum perperam ad Apostolos referri, sed neque ante finem saeculi tertii compositos esse, contenderant [1]), probare conatus est, hos canones revera ab Apostolis anno XLV. constitutos, et a Clemente eorum disciplulo in hanc formam redactos esse. [2])

Quae Turriani et sociorum [3]) commenta confutare, supervacuus hodie labor est:

---

1) Vid. Ecclesiastica Historia et rel. congesta per aliquot studiosos et pios viros in urbe Magdeburgica. Basileae per Jo. Opporinum a. 1552. Centuria I. col. 523. 544. 545. Cent. III. cap. VII. col. 160.

2) Vid. Fr. Turriani pro canonibus Apostolorum et Epistolis decretalibus pontificum Apostolicorum defensio. Lutetiae. 1573. 8.

3) Praeter Turrianum scriptores hanc sententiam professi sunt pauci, e. gr. Lorinus in Actib. Apostolorum c. 15. Onuphrius in Catalogo Platinae praefixo. Bartholomaeus Germonius in lib. de veteribus hae-

satis enim superque hoc negotium perfecit doctissimus Dallaeus, et nescio, utrum Josephus Aegyptius magis vituperandus sit, qui Apostolos in monte Sione hos canones condidisse crediderit, an isti homines, a societate Salvatoris nomen mutuati, qui omnibus literarum subsidiis instructi, Apostolos hos canones in concione Hierosolymitana constituisse imponere nobis voluerint. Apostolos enim de hypodiaconis, lectoribus, cantoribus, eorumque ordine clericali, (can. XLII.) de divisione bonorum ecclesiae et episcopi, (can. XXXVII. et XL.) de juribus Primatis provinciae

---

reticis ecclesiasticorum codicum corruptoribus, Parisiis, 1713. 8. lib. II. P. I. c. 4. qui tamen, hos canones passim ab haereticis interpolatos et corruptos esse concedit. Quesnellus tamen in Dissert. XVI. §. 6. et in Epist. X. not. 8. T. II. col. 1324. etiam eorum sententiam, qui ab Apostolis et Apostolicis viris hos canones traditos esse existimaverint, veram esse profitetur. Neque ab ea abhorrent P. Coustantius in Dissert. de antiquis canonum collection. P. II. num. 51. in edit. Gallandii Veneta p. 25. et 26. et Ballerinii fratres in Dissert. de antiquis collect. canonum. P. I. cap. 1. num. 1. [illegible]

(can. XXXIII.) et quae in can. L. LV. LX. LXV. leguntur praecepisse, ecquis quaeso crediderit?

Eandem sententiam, quam Cardinalis Bellarminus, tuetur etiam Cardinalis Baronius in Annalibus Ecclesiasticis ad annum 102. num. 10—20. Posteriores quidem XXXV seriore tempore, post Dionysium, adjectos non tamen ideo suppositios esse existimat praeter can. LXVI. et LXXXV. — Baronii opiniones etiam hac de re repetiit Binius in notis ad hos canones. Neque Cardinalis Aguirre a sententia collegarum discedit in Dissert. III. Excursu 6—8. ad Collect. max. Conciliorum Hispaniae.

Per contrarium recedunt a Turriano omnes scriptores cordatiores, qui nec judicium suum alienae opinioni mancipaverunt, nec ingenium somniis obcoecaverunt. Inter primos laudandus est Josephus Justus Scaliger et praesertim coaevus ejus Gabriel Albaspinaeus [1]), quippe qui

1) In Observationibus ecclesiasticis lib. 1. c. 15.

„imperitos esse, ait, eos qui canones istos Apostolorum auctoritate sancitos publicatosve certo affirmant.“ In ea autem quam ipse defendit sententia minime ei adstipulari possumus: contendit enim, canones ab antiquitate Apostolicos esse appellatos, quoniam complures eorum a successoribus Apostolorum, qui Tertulliano teste Apostolici viri appellari soliti erant, constituti fuerint, deinde ignorantia librariorum excidisse aliquot literas, et ita Apostolicos canones a recentioribus Apostolorum canones nuncupari; post denique accessisse XXXV canones ab ecclesia Romana rejectos. Tantopere Albaspinaeus ingenio et conjecturis indulsit: et tamen nactus est, qui ejus sententiam referrent atque probarent, inter quos Tillemontius in Memoires T. II. cap. de S. Clemente art. 3. et 7. canones partim ab Apostolicis viris propositos, deinde vero pedetentim numero auctos, et tandem sub finem saeculi III. collectos esse affirmat. Neque longe ab hac opinione recedit David Blondellus in libro de episcopis et

presbyteris, sect. III., qui tamen sibi non constitit, nam in Prolegomenis ad Pseudo-Isidorum et Turrianum vapulantes cap. 12. eos ad annum CC. refert, quibus in superiori libro annum CCL. et in Apologia pro sententia Hieronymi annum CCCXXX. natalem assignaverat. Propius ad Albaspinaeum accedit Jacobus Usserius, priores L canones saeculo III. reliquos vero saeculo VI. propositos esse affirmans. Quicquid est, hoc tamen auctoritas Albaspinaei effecit, ut neminem equidem sciam, qui post eum horum canonum Apostolos ipsos auctores fuisssse statuerit.

Verum Petrus de Marca [1]) non solum ingenio sed etiam eruditione praestantissimus altius hanc quaestionem indagavit; perhibens enim sua aetate jam omnes concedere, Clementem non esse auctorem horum canonum, sed eos erudito scriptori, qui tertio saeculo floruerit, esse vindicandos. Hanc communem opinio-

---

1) In Dissert. de Concordia sacerdotii et imperii lib. III. cap. 2. edit, Boehmer. col. 210.

nem ita accuratius definire atque demonstrare conatur, ut hanc collectionem priorem non esse anno CCLVIII. dicat: idque ex controversia de baptismo haereticorum inter Cyprianum Carthaginiensem et Firmilianum Caesareensem in Cappadocia et Stephanum archiepiscopum veteris Romae agitata efficere annitatur. In hac enim controversia quaecunque alia argumenta ab adversariis anquiri, canones autem Apostolorum XLV. et XLVI. quibus nihil opportunius pro consuetudine orientalium obtendi potuerit, penitus ignorari, ait; unde apparere, hos canones in synodo Iconiensi in Lycaonia demum sancitos esse. Verum licet archiepiscopo celeberrimo haec de his duobus canonibus concesserim, anne ex hoc consequitur, etiam reliquos canones eodem tempore natos esse? Verum etiam haec sententia, quamvis fundamentis non adeo firmis nitatur, tamen nacta est propugnatores celeberrimos, qui ei aut simpliciter subscriberent, aut paululum immutatam eam proferrent; ex quibus nemo majore auctoritate exstitit, quam Joannes

Douiatius, qui in Praenotionibus Canonicis etiam in hac quaestione Petro de Marca accedit [1]), addens auctorem horum canonum sine dubio posteriorem tertio saeculo non fuisse, quippe qui in Conciliis Nicaeno, Antiocheno, Ephesino et Chalcedonensi vel indicentur vel laudentur. Etiam Franciscus Pagius in Breviario gestorum Pontificum, in vita Clementis §. 5. argumenta Petri de Marca assentiens retulit. [2])

In eundem numerum referendus est Guilelmus Beveregius, qui omnium maximas curas in hac quaestione solvenda collocavit. [3]) Primo enim de aetate

1) Praenotionum canonicarum libri quinque, Lib. III. cap. 2. ex edit. Schotti T. I. p. 662 — 665.

2) Apud Coteleriuin in Patribus Apostolicis. Vol. I. p. 198.

3) Vid. Συνοδικὸν s. Pandectae Canonum SS. Apostolorum et Conciliorum ab ecclesia gracca receptorum et rel. Oxonii 1672. in fol. T. I. p. 1 — 57. Adnotationes adpendicem tomi II. efficiunt, quas Cotelerius in Patres Apostolicos Vol. I. p. 455. sqq. recepit, et Praefationem ad eas sub titulo: Guil. Beveregii de canonibus Apostolicis judicium, in alium locum transpositam nempe p. 432 — 441. iteravit.

contra Turrianum et Dallaeum, mediam inter utrumque sententiam secutus, canones Apostolorum secundo saeculo labente tertiove nondum adulto a primitivis synodis constitutos, mox etiam collectos, licet nonnullis in locis postea interpolatos esse statuit; itaque ad Albaspinaeum et Petrum de Marca proxime accedit, eosque quodammodo conciliat. De auctore autem. Clementem Alexandrinum eos composuisse suspicatur. [1]) Et hanc quidem sententiam ab anonymo (Matth. Lorroquano vulgo: de la Roque) vehementissime impugnatam Beveregius doctissimo commentario denuo explicuit atque defendit. [2]) Verum in Prooemio num. 11. ipse fatetur, se contra doctissimum Jo. Dallaeum alia de causa non disputare, nisi ut „nostram defendamus ecclesiam.“ Cui consilio cum maxime faveret sententia ab Albaspinaeo et Petro de Marca proposita, mirum non est, si

1) Cf. Praefatio ad Adnotationes l. l. num. 27.

2) Codex canonum primitivae ecclesiae vindicatus ac illustratus. Londini. 1678. 4.

Beveregius in Codice ecclesiae primitivae eam subsidiis undique conquisitis accuratissime adornare studuit. Ut autem adversarii argumenta infirmaret, etiam hoc asseruit, illum primitivum ecclesiae codicem, qui ante Concilium Nicaenum jam exstiterit, deinde, cum alii canones in locum ejus substituerentur, vel pristini nova forma induerentur, in desuetudinem abiisse. Quae disputatio hoc solo fundamento nititur, quod omnes definitiones, constitutiones, regulas, consuetudines, quae a Patribus aut in conciliis commemorantur, ad collectionem hanc, quae sola tum exstiterit, referri oportere, statuit. Quare hac ratione simul antiquitatem collectionis et formae ecclesiasticae anglicanae Apostolicam originem probari sibi persuasum habebat.

Et haec quidem sententia composita ex Albaspinaei, Petri de Marca et Beveregii opinionibus, quoniam subtilius non inquirenti nihil difficultatis vel offensionis habere videtur, communis fere inter recentiores inde a Spitlero (histor. jur. can. Halae

1778. p. 69.) [1]) scriptores facta est. [2]) Ni-

---

1) Spitlerum tamen collectionem, „quemadmodum eam nunc usurpamus," post medium saeculum V. natam esse concedere, silentio praeterire nolui. (vid. ibid. p. 66.) Praeterea Cotelerius asserit, hos canones primum nominatim commemorari a Nectario in synodo Constantinopolitana a. 394. (vid. Cotelerii Judicium de can. Apost. in Patribus Apostolicis Vol. I. p. 429.) quam sententiam repetitam video a Pertschio in brevi hist. jur. eccles. et can. Lipsiae 1753. p. 28., a Schroeckhio in historia ecclesiae christ. P. II. edit. 2. p. 132. cf. P. VIII. p. 210. P. XVII. p. 365—367. a Georgio Lud. Boehmero in Principiis juris canonici §. 54. adnot. b. et nuper etiam a Jo. Carolo Ludov. Gieseler in libro egregio: Lehrbuch d. Kirchengeschichte T. I. p. 101. Sed adversus hujus sententiae defensores illud unum moneo, desiderari acta hujus concilii primitiva; quae enim usurpamus, Theodoro Balsamoni accepta referimus; (vid. Theod. Balsamonis Opera graece cum versione latina Gentiani Herveti, edit. Paris. p. 761) hoc fragmentum Labbaeus et Mansius inde receperunt; (vid. Ampliss. Concil. Collect. T. III. col. 851—854.) extat alia quoque versio in Jure Graeco-Romano a Leunclavio edito p. 247. — Subdubitare igitur licet, anne hae voces: *καθῶς οἱ ἀποστολικοὶ κανόνες διωρίσαντο*, quae periodo perfectae adjecta videntur, interpretamentum Balsamonis sint. Certe de nullo canone Apostolorum nisi de LXXII. de trina citatione accusati vel episcopos vel Balsamonem hic cogitare potuisse, haud infitiari licet.

2) Beveregio subscripsit etiam Elias du Pin in Bibliotheca auctorum ecclesiasticorum Tom. I.; tamen hos ca-

hilo minus equidem, postquam omnia, quae ad dijudicandam hanc quaestionem, difficilem sane, aliquid momenti habent, curiosius pervolveram, ut Beveregii conjecturas meas facerem, a me impetrare non potui. Sed Dallaei, cujus rationes validas Beveregius frustra refellere conatus est, sententiam paululum modo immutatam probo, eamque confutari non posse censeo. Is enim putat, hos canones ante saeculum quintum ad finem vergens non innotuisse. 1) Quam sententiam ita accu-

---

nones non simul omnes natos, sed plures diversis temporibus eorum collectiones fuisse, et subinde auctas esse, ex eo quod nullus in iis rerum ordo servatus sit, suspicatur. Consentiunt quodammodo etiam Lakics in Praecognitis jur. eccles. Viennae 1775. p. 22—26. Sauterus in Fundamentis iur. eccles. Catholicorum, ed. III. T. I. p. 159. Rechberger in Enchiridio jur. eccles. Austriaci ed. III. T. I. p. 30. Qui tamen quarto saeculo collectionem tribuunt.

1) Joannis Dallaei de pseudepigraphis Apostolicis lib. III. Hardervici a. 1653. A Dallaei parte stare Cabassutium in Notitia conciliorum edit. Lugdun. 1690. in 8. p. 7. Natalem Alexandrum in Historia ecclesiastica, saec. I. diss. 17. Thomam Brunonem apud Cotelerium Vol. II. p. 177. Ittigium de pseudepigraphis Christi, Mariae et Apostolorum c. 11. §. 18. deprehendi.

ratius definiverim: ante Dionysium Exiguum et Joannem Antiochenum nullum certum vestigium reperiri hujus collectionis; collectiones tamen plures horum canonum saeculo quinto concinnatas et divulgatas fuisse, alias pauciores alias plures canones continentes, amplissimam omnium fuisse eam, qua Joannes Antiochenus usus est: porro has collectiones jam tum temporis Apostolorum canones inscriptos esse, a nullo vero vetustiore scriptore ad Apostolos tanquam auctores collectionis referri.

Deinde ea aetate, quam secundam falsariorum periodum in historia juris canonici licet statuere, saeculo nempe septimo et octavo, codicibus singulas quasdam voces, quibus ipsi Apostoli loquentes inducerentur, insertas esse, quae Dionysii aetate profecto nondum legebantur. Hanc sententiam rationibus ex ipsis canonibus haustis atque testimonio Hincmari Rhemensis, in Opusculo L. capitulorum cap. 24, scriptoris sui temporis facile primi confirmari puto. Is quidem canones Apostolo-

rum eo tempore collectos esse suspicatur, quo nondum concilia libere celebrata sint [1]); at tamen refert, beatum Gelasium, in catalogo, qui libri in ecclesia recipiantur, de his Apostolorum canonibus penitus tacuisse, nec inter apocrypha eos misisse. Unde efficitur in iis codicibus, quos Hincmarus viderat, illum decreti Gelasiani articulum, quo canones Apostolici memorantur, nondum fabricatum fuisse. Quod testimonium non solum nostrae de hoc decreto sententiae novam rationem adjicit, sed etiam locutiones istas, quas modo memoravimus illa tempestate, aut nondum insertas, aut jam pro falsis et interpolatis non amplius censeri solitas fuisse demonstrat. Et sane Beveregius et Cotelerius ex multis libris manu scriptis ostenderunt, lectiones, quae hos canones ad ipsos Apostolos referunt, non in omnibus inveniri. Hae sunt in can. XXVIII. „Quemadmodum Simon Magus a me Petro:" in aliis

1) Quibus verbis aperte ad Praefationem Isidori Hispalonsis ad Conciliorum collectionem Hispanam respicit, quae hoc loco tempus ante concilium Nicaenum indicant.

enim legitur: *ὑπὸ Πέτρου*, in aliis *ἀπὸ Πέτρου*, in aliis denique sententia concluditur voce Magus, et sic Tarasius in epistola ad Hadrianum, sic etiam Zonaras et Balsamon hunc canonem referunt, ergo vox *ἐμοῦ*, quae a plurimis abest, recentiore tempore interpolata est. Haec varietas et in graeco textu et in Dionysiano can. XXX. reperitur. Porro in can. LXXXI. „qualis Onesimus n o s t e r apparuit," in aliis codicibus desideratur *ὁ ἡμέτερος*, in aliis tota haec enunciatio; nec Zonaras nec Balsamon nec Harmenopulus in Epitome canonum sect. III. Tit. I. eam habent. Apud Joannem vero Antiochenum totus hic canon nondum existit. Denique can. LXXXV. catalogum librorum canonicorum utriusque Testamenti sistit, in quo desideratur A p o c a l y p s i s J o a n n i s, cujus loco recensentur „C l e m e n t i s e p i s t o l a e d u a e et C o n s t i t u t i o n e s (*διαταγαὶ*) v o b i s e p i s c o p i s p e r m e C l e m e n t e m i n o c t o l i b r i s n u n c u p a t a e, quas non oportet coram omnibus divulgare, ob Mystica, quae in eis sunt; et acta n o s t r a Apostolorum."

Haec canonis pars manifesto supposita est; utrum autem inserta sit, cum reliqui canones jam collecti erant, an a primo collectore repetenda, id in dubio relinquendum est: etenim omnes libri in hac parte, teste Beveregio, mirifice consentiunt, idque adeo in diversis collectionibus, apud Joannem Antiochenum et apud serioris aetatis auctores scholiorum. Quamobrem quaecunque ex hoc capite deducantur, aut conjiciantur, dubia et fallacia mihi esse videntur. Id sane apparet, si hic canon interpolatus non est, canones et constitutiones Apostolicas a Clemente Romano conscriptas esse, non posse, quia epistolae duae Clementis ad Corinthios commemorantur, quae ad auctorem diversum ab eo, qui hoc scripsit referuntur. Quodsi hoc caput ab auctore canonum profectum esse ponimus, hunc Clementem a Clemente Romano diversum esse dicamus necesse est. Num vero Clementem Alexandrinum constitutionum Apostolicarum imo etiam canonum Apostolorum auctorem esse Beveregius recte suspicatus sit, aliis dijudican-

dum relinquo. Si quis, falsarium ex scriptis Clementis Alexandrini occasionem arripuisse, ut commentitiarum constitutionum octo libros componeret [1]), dixerit, ei quidem non repugnaverim; Beveregio vero, has constitutiones et canones esse librum Clementis Alexandrini contra eos, qui Judaeorum errores sequantur, scriptum putanti, quoniam nullum hujus argumenti in canonibus Apostolorum vestigium inveni, assentiri non possum.

Hactenus de canonibus Apostolorum. Cui quidem materiae proxime ego quaedam de constitutionibus Apostolicis quasi coronidis loco adjungendi; tum collectionis Joannis Antiocheni pertractandae, et in sequenti capite animad-

---

1) Clemens Alexandrinus scripsit octo libros *στρωματέων*, et octo libros *ὑποτυπώσεων*, in illis ea, quae ad scien tiam pertinent, in his traditiones, quas a majoribus accepisset, exposuit; praeterea etiam librum de Pascha, et disputationes de Jejunio, et librum qui *κανὼν ἐκκλησιαστικὸς* inscribitur. vid. Eusebii Historia ecclesiastica lib. VI. cap. 13. 14. ex edit. Guil. Reading, Cantabrigiae 1720. p. 271 — 275.

versiones de ea collectione quam priscam vocare solemus, adspergendi maximeque, an ante Dionysii aetatem haec collectio in usu ecclesiae Romanae fuerit, et quid de ea pro certo statui possit investigandi consilium ceperam. Deinde etiam de veris codicibus collectionis Dionysianae et Hadrianeo-Dionysianae disquirere, ultimoque capite Hispanam collectionem, ejus fata, quando commentitia in eam capita intrusa sint, et qua ratione cum collectione Isidori Mercatoris cohaereat, explicare cogitabam. Sed cum intelligam, haec omnia si eo, quo destinaveram, modo persequar, fore ut haec dissertatio in amplum librum excrescat; nunc quidem, ne ejusmodi libelli fines egrediar, et impensam profusam perdam, cetera reponam, alii ea tempori occasionique, si haec placuerint, servans; statimque ad ultimum caput pergam. Verum neque hoc integrum tractare nunc in animo est, sed tantum eas animadversiones, quas ad cognitionem hujus praestantissimae collectionis maxime necessarias esse arbitror, hic in medium proferam.

Caput II.

De collectione Hispana quam vulgo Isidorianam dicunt.

Quamquam in nulla fere orbis christiani regione tam frequentes episcoporum conventus, atque in iis tam gravia de moribus emandandis, de disciplina ecclesiae excolenda stabiliendaque praecepta condita novimus, quam in Hispania praesertim per saeculum VI. et VII. tamen nostra demum aetate Codex canonum et Decretalium ecclesiae Hispanae primum integer editus [1]) et in Germania adhuc

1) „Collectio Canonum ecclesiae Hispanae ex probatissimis ac pervetustis codicibus nunc primum in lucem edita a publica Matritensi bibliotheca. Matriti ex typographia regia, A. D. 1808." in fol.

Complectitur a) Praefationem editoris sine numeris paginarum (9 folia). b) Excerpta Canonum decem libris comprehensa 60 pag. c) Praefationem collectoris 1 fol. d) Canones conciliorum 680 columnis.

„Epistolae Decretales ac Rescripta Romanorum pontificum. Matriti ex typographia haeredum

fere ignotus est. [1]) Hispanae collectionis rationem ita optime intelligemus, si a

---

D. Joachimi de Ibarra. A. D. 1821" in fol. 167 pag. Index Rerum et argumentorum p. 169—196.

Editor ad calcem praefationis subscripsit Franciscus Antonius Gonzalez publicae Matritensis bibliothecae praefectus, Mantuae Carpetanorum pridie Idus Septembris A. D. 1821.

1) Unum tantum exemplum, quod bibliotheca regia Berolinensis ab Equite de Quadrado, socio Legationis Hispanae a. 1823 dono accepit, in Germaniam migrasse videtur. Vindobonensibus anno praeterito haec editio nondum innotuerat; neque ea praeterquam a Cel. Blumio (Grundriss des Kirchenrechts. Halle 1826. p. 15. et Bienero (de collectionibus canonum eccl. graecae 1827. p. 76.) a quovis, quod sciam, memorata est. Walterus (Lehrbuch d. Kirchenrechts. 1825. §. 48.) adeo quae contineat collectio Hispana ignota esse, ait, et paulo post addit. „Gedruckt ist sie noch nicht." Eadem Langius (Geschichte des Kirchenrechts. 1827. p. 113.) iisdem verbis reddit: „Gedruckt ist diese Sammlung noch nicht." Et Drostius (Grundsaetze d. gem. Kirchenrechts 1828. pag. 51.) „Wiewohl noch keine derselben (Handschriften) bisher abgedruckt worden ist."

Hoc loco a me impetrare non possum, quin V. Ill. Wilkenio bibl. regiae Berol. Praefecto et Doctiss. Laspeyres gratias publice agam, quorum ille collectionem Hispanam, hic vero Pseudo-Isidori editionem Coloniensem, quam possidet, usibus meis humanissime concesserunt, quum neque Vindobonae alterutrum in-

b r e v i a r i i s, quae ex ea confecta sunt, exordium faciamus. Collectio enim ipsa pedetentim aucta est novis quibusque canonibus accedentibus, prout concilia eos pedetentim ediderunt: quare ex manuscriptis collectionis Hispanae libris primitivam codicis formam perspicere nondum possumus.

Et primum quidem de E p i t o m e Codici secclesiae Hispanae, secundum temporis et conciliorum ordinem concinnata, pauca praemonenda sunt. Fuisse omnino talia compendia in usu ecclesiae, facile mihi, quisquis conditionem literarum septimo et octavo saeculis animo perpenderit, concedet. Duo hujus generis breviaria a

venissem, neque aut a Germanis aut a Parisiensibus bibliopolis illam venalem obtinere potuissem. Omnia hujus Hispanae collectionis capita cum textu, qualis a Labbeo et Mansio exhibetur contuli; atque cogitabam fore, ut quaedam de iis, quae in conferendo deprehendi cum lectoribus communicarem, simulque ubi singula collectionis capita in Mansii collectione inveniantur, docerem; sed his traditis cum dissertatio nimis aucta fuisset, ea in scriniis meis interim latere jussi, donec fortasse cum aliis codicibus manuscriptis conferendi et editionem novam adornandi occasio sese obtulerit.

Balleriniis referuntur. Alterum eorum ordinem conciliorum sequitur, et saltem in fronte decretalium Capitulatio inscribitur, qui titulus silentio praetermittendus mihi ideo non videtur, quia in ipsa collectione Hispana capitulationes commemorantur, quibus titulos seu capitum elenchum, qui in fronte cujuscunque concilii ponitur, significari, pro certo statuo. Quodsi codices, quorum unum Scipio Maffejus in Notitia codicum Capitularis bibl. Veronensis in Appendice Historiae Theologicae primus commemorat, et Ballerinii in Dissert. de antiquis can. collect. P. IV. cap. 4. latius describunt, alterum vero Mansius in bibliotheca cathedrali Lucana invenit, et partim in collectione conciliorum ad singula concilia divulgavit, curiosius contemplatus fueris, eos ex Hispana collectione, et quidem ex codicibus auctis quidem subinde at tamen vetustam formam praeferentibus, sumtos esse cognosces. Sententias enim ex codicibus secundum ordinem capitum depromtas, vetustiores esse iis, quae in systema aliquod

redactae sunt, apparet. Quod inde quoque probatur, quod canones Sardicenses cum Nicenis in codice conjuncti erant, et in canonibus Antiochenis haec collectio substitit; Laodiceni contra, Constantinopolitani et Ephesini seu Epistola Cyrilli ad Nestorium cum XII. anathematismis serius accesserunt. Concilia Africae, Galliarum et Hispaniae eodem ordine sequntur, quem in Hispana collectione deprehendimus. Novissimum caput in illa collectione erat concilium Oscense a. 598. Ergo ante Hispalense II. a. 629. et Toletanum IV. a. 633. hoc breviarium factum est.

Quamvis Ballerinii, quibus Hispani codices integri nondum cogniti erant, subdubitent, an hae epitomae revera ex vetustissima Hispana collectione concinnatae fuerint, nec potius ex antiquissimis codicibus Gallicanae collectionis: nobis tamen persuasum est, illam vetustam collectionem utriusque fuisse regionis communem. Allegantur enim liber Bracarensis, liber Complutensis, liber Agabrensis, nullus autem, qui Gallias spectet.

Tum quod duae praeceptiones seu epistolae Clementis ad fratrem Domini ex versione Rufini vulgata decretalibus praefiguntur, et quod sententiae concilii Nicaeni itidem a Rufino contractae exhibentur; haec me non movent. Unde enim scimus Isidorum Hispalensem (quod Ballerinii pro certo sumebant) revera auctorem primitivae collectionis Hispanae fuisse? Non enim omnia, quae hodie in libris Originum Isidori et simul in conciliorum collectionibus invenimus, ex Isidoro depromta sunt, sed e diverso Isidorus multa conquisivit et in scrinia sua auctore non laudato collegit, quod Ballerinii ipsi agnoscunt. Denique alia quaedam diversi generis capita etiam antiquissimis codicibus assuta esse, ex recensione codicum Hispanorum denuo comperimus. Ex illis autem indiciis, quae jam commemoravimus, quibus accedit vox: Ancyritanus, Anquiritanus, Ankiritanus pro Ancyranus seu Ancyrensis, et quod concilii Aurelianensis quinti canones titulum Arvernensis concilii praeferunt: quod utrumque

soli Hispanae collectioni convenit, profecto statuere licet, haec compendia ad Hispanam collectionem pertinere.

Ad alterum breviarium Hispanae collectionis quod attinet, id quidem secundum ordinem rerum dispositum est. Inventum primo ab Io. Bapt. Perezio in codice MSto Lucensi Hispanico (Lugo), transcriptum idque exemplum Romam missum nunc in Cod. Vatic. num. 4887. asservatur. Aliud ejus exemplum ad manus Cardinalis de Aguirre pervenerat, qui id dignum censuit, quod in fronte tomi III. collectionis suae amplissimae conciliorum Hispaniae, Romae 1693. ederet hac praefixa inscriptione: Index sacrorum canonum et Conciliorum, quibus ecclesia praesertim Hispanica regebatur ab ineunte sexto saeculo usque ad initium octavi; nunc primum editus e MS. antiquo excellentissimi Marchionis Mondexarensis, quod olim fuit Cl. V. Joannis Perez, Canonici et Bibliothecarii ecclesiae Toletanae, ac postea episcopi Segobricensis. — Deinde novam editionem curavit Cajetanus Cen-

ni Pistoriensis in Antiquitatibus ecclesiae Hispanae, Romae 1739. Vol. I., cujus textus est ex Aguirrii editione repetitus, sed adnotationibus illustratus. Titulum inscripsit: Codex veterum canonum ecclesiae Hispanae. Hunc textum Mansius in ampliss. collectionem Conciliorum mutata tamen inscriptione intulit T. VIII. col. 1179—1260. Verum Aguirre et Cenni solos exceptorum libros X exhibuerant; unde „Versificationem“ h. e. contentorum praedicationem heroicis versibus compositam, colloquium inter lecturum et codicem exhibentem, quae in fronte priorum quinque librorum in plerisque codicibus manuscriptis legitur, ex Balleriniorum Dissert. laud. P, IV. cap. V. mutuatus est Mansius. [1]) Longe vero praestantissima et accuratissima editio est Matritensis ex Codice Alveldensi seu Vigilano, adspersa varia reliquorum codicum lectione, curata, quamquam Gonzalezius tantam curam diligentiamque adhibuisse praedicari non

1) Vid. Mansii animadversio praevia T. VIII. col. 1179.

potest, quantam nostrates in ejusmodi editionibus collocare hodie solent. Quicquid est, ex novem notulis, quas hic adspersit, tamen videmus, hoc breviarium praeterquam in Codice Alveldensi et Aemilianensi, etiam in Codice Bibl. regiae, in Toletano I. et II., in Urgelitano et in Gerundensi [1])

---

1) De la Serna Santander docet, in codice Gerundensi et in Urgellensi (qui sex tantum priores libros habet) haec excerpta canonum aliter, atque in ceteris codicibus, methodo rudi et indigesta ordinata esse: canonum enim et decretalium sententias ibi non referri, sed concilia, a quibus statuta sunt, tantum citari. Inde suspicatur vir in his rebus inter recentiores doctissimus, hanc fuisse primigeniam hujus breviarii formam. Cui facile assentior, cum ex collatione textus Matritensis cum Mansiano mihi persuasum sit, breviarium simul cum collectione recensum auctumque esse. vid. Praefatio historico-critica in veram et genuinam collectionem veterum canonum ecclesiae Hispanae a divo Isidoro Hispalensi Metropolitano, Hispaniarum doctore, primum, ut creditur, adornatam, consequentibus deinde saeculis ab Hispanis Patribus auctam. E pluribus MSS. Codicibus venerandae antiquitatis, Toletanis nempe, Scurialensibus, Rivipullensibus, Gerundensi, Cordubensi, Urgellensi et aliis erutam et ad eorum fidem castigatam. Studio et opera Andreae Burriel, Soc. Jesu. Quam accuratissime exscriptam, variantibus lectionibus ornatam possidet Carolus de la Serna Santander, bibl.

contineri; quibus accedit, teste Perezio, Codex Ovetensis, quem Gonzalezius non contulit, et Coustantio (in Dissertatione de antiquis canonum collect. P. II. §. 9. praecipue num. 149. edit. Veneta Galland. p. 54.) affirmante etiam codex Colbertinus et Coislinianus. Non tamen in omnibus invenitur: desiderari videtur in duobus codicibus Rivipullensibus, quorum primam notitiam dedit Petrus de Marca, qui etiam primus in hanc antiquam, quam ecclesiae Romanae esse putabat, collectionem virorum doctorum attentionem convertit; denique desideratur in Codice manuscripto bibliothecae Caesareae Vindobonensis, quem anno praeterito vidi et partim contuli. 1) Hic

publ. Bruxell. custos. Bruxellis ex typographia Armandi Gaborria. Reip. Gall. a. VIII. quam editionem videre mihi non contigit, sed iterata est in Supplément au Catalogue des livres de la bibliothéque de M. C. de la Serna Santander, contenant etc. 3° Une Préface latine, imprimée l'an VIII. sur la vraie collection des Canons de St. Isidore de Seville. etc. Bruxelles, an XI. (1803.) 8.

1) Hunc codicem Santander l. l. p. 7. antiquissimum et praestantissimum vocat, sed in eo fallitur, quod eum

codex donec Kochius Argentoratensem Rachionis episcopi anno 787 exaratum inveniret, ejusque in opere Notices et Ex-

---

ex arce Ambrosiana Mediolanensi [sic] Vindobonam translatum ait; fuit enim in gazophylacio celeberrimo arcis Ambras (Omeras, Umeras etc.) prope Oenopontum in comitatu Tyroli, et imperante Leopoldo I. a Lambecio meritissimo a. 1665, cum multis aliis manuscriptis et plus sex milibus libris impressis Vindobonensi bibliothecae Caesareae illatus est. vid. Die k. k. Ambraser Sammlung, beschrieben von Alois Primisser. Wien 1819. 8.

Santander exactam codicis descriptionem a Bernardo Gentilotio bibliothecae quondam praefecto manu exaratam usurpavit, quae tamen Cel. Kopitar mihi affirmante typis divulgata non est. Santander vero in collectionis Hispanae codicibus Hispanis describendis subsistit, atque in hoc negotio praecessorem habuit Garsiam Loaisam, qui in praefat. ad editionem conciliorum Hispaniae de codicibus manuscriptis, quibus haec continentur, exposuit. Falluntur autem, qui hodie hunc Garsiae tractatum exscripserunt; nam Loaisa codicem Aemilianensem pro Hispalensi accepit; Hispalensis vero et Lucensis praestantissimi et vetustissimi codices in monasterio S. Laurentii Escurialensi a. 1671. flammis misere consumti sunt. cf. Santander et Gonzalez l. l.

Est Codex membraneus, 315 fol. minori forma constans, saeculi IX. vel X., ut Cel. Kopitar arbitratur. Signatus est: MS. Ambras. 281. deinde additur literis uncialibus: „Hoc volumen conciliorum Ioannes Marquardus

traits des Manuscrits de la bibliothèque nationale etc. Tomo VII. P. 2. p. 173–215. [1])

V. Cl. antiquae pietatis ergo concinnari faciebat. Anno Christi *M. D. XXVII.*" post haec literis cursivis: „Ex augustissima Bibliotheca Caesarea Vindobonensi. IX. B. 19." Fortasse quondam Marquardi fuit; nam in tegumento inhaeret insigne Marquardi incisum aeri cum inscriptione: „Joann. Marquardi de Husennis Jurecos: Imper. Consil. 1550. VBt.

Incipit fol. I. vers. ut in Codice Alveldensi nostra Collectio verbis: „Hora prima" etc. ex Conc. Tolet. IV. c. 4; tum fol. III. vers. „Canones generalium conciliorum a temporibus Constantini" etc. quae est praefatio collectionis Hispanae. Deinde fol. IV. vers: „Incipiunt Capitula conciliorum Graecorum," fol. V. rect. incipit concilium Nicaenum et deinceps cetera. Interim observandum est, titulos canonum textui etiam hic praemissos esse, ut in vulgatis, quos ergo, quia postea cuicunque canoni iterum praefixi hoc loco ex abundanti positi esse videbantur, idcirco Gonzalez neglexisse putandus est.

1) Codex Argentoratensis est omnium antiquissimus et praeter Alveldensem splendidissimus. Et licet Kochius in hac disquisitione praeter ea quae ex Coustantio mutuatus est, parum experientiae prodat: tamen ex Indice (l. l. p. 202. seq.) apparet, nihil hunc codicem alieni vel commentitii ex interpolatione continere. Nam quod ad Praefationem Kochius refert num. 1. non praefatio quidem est, neque magis tamen supposititium; num. 2. et 3. praefationem efficiunt; omnia concinunt

anno XII. reip. Gall. luculentam descriptionem divulgaret, unus censebatur extra

---

cum codicibus Hispanis iisque optimis, praeter „Praefationem in Decreta Praesulum Romanorum" quae in Hispanis et Vindobonensi non est. Nescio, quid sibi velit apud illum I. Praefatio in Decreta Praesulum Romanorum et II. Indiculus epistolarum. Fortasse utrumque ad brevem introductionem, quae in Hispanis Codicibus est, pertinet. Ceterum hic Codex exhibet etiam breviarium nostrum, de quo tamen, quod maxime dolendum est, Kochio non placuit, paulo accuratius sermonem facere. Quodsi studiosius observavit, quam de eo exposuit, hoc breviarium ad antiquiorem codicis formam pertinuit, quam, quae in conciliis codicis exhibetur. Idque subsistit in Tolet. IV. omissis allegationibus ex reliquis Toletanis usque ad XIII.; a Bracar. I. allegationes denuo incipiunt. Ultimum est Spalense. Codices Hispani ampliores sunt, habent enim Toletana XVII. Bracarensia III. Hispalensia II. Praeterea Codex Aemilianensis habet Barcinonensia II, Narbonense I., Oscense et Egarense; Emeritense autem est in cod. bibl. regiae in Tolet. I. II. in Escurial. IV. et in Urgell. et Gerundensi, ut ex notis Gonzalezii conjicias, licet variantes ex his non adjecit. Ergo codex Argentoratensis ab antiquiore exemplo transscriptus est quam Hispani aucti. Altera pars Epistolas continens eodem quo Hispani codices numero a Dionysio profecta tantummodo iis epistolis, suis quibusque locis interjectis, aucta est, quas pontifices Romani Hispanis episcopis scripserunt, aut ab aliis scriptas

fines Hispaniae hucusque repertus, qui collectionem Hispanam integram puramque contineret. Etenim omnes Galliae Italiaeque codices Hispanae collectionis spuriis Isidori Mercatoris mercibus interpolati et

---

transmiserunt. Sunt CIII. epistolae, et (quod memoratu dignissimum est) deest: ut in indice Vindobonensis codicis Decretale ex urbe Roma de recipiendis libris, de quo p. 53. disputavimus. Postremo observes velim: ex numero CII. vel CIII. solo non effici, unam alteramve epistolam desiderari, aut e diverso intersertam esse. Numerus enim constans erat, et in Hispanis codicibus Rescripta i. e. responsiones fere semper sub numero praecedente collocantur. E contrario aliae epistolae numerantur, quae non sunt pontificis, in cujus serie ponuntur e. gr. in Cod. Alveld. num. 39. Ep. Petri eppi Ravennensis, num. 78. Acacii Cplitani, num. 87. Justini Imper, num. 88. Joannis Cplitani. Itaque licet novae epistolae intruderentur, numerus immutatus manebat. Desiderantur vero in cod. Argentor. tria ultima capita codicum Hispanorum, nempe 1) Concilium Romanum Gregorii (vid. ap. Mansium T. X. col. 475. D. et T. IX. c. 1226. T. X. c. 434.) 2) Praeceptum Gregorii Rectoribus Siciliae (vid. ap. Mansium T. IX c. 1055. C.) 3) Decretale in urbe Roma ab Hormisda papa editum (ap. Mansium T. VIII. col. 531. B. et col. 145 — 152.) Unde ergo cognosces, ex hoc codice Pseudo-Isidori decretales edi non posse, quia nullae insunt.

corrupti sunt.[1]) Nec igitur mireris tam diversas fuisse editorum de hoc breviario opiniones, quod cum collectione contendere non potuerunt aut noluerunt. In codicibus manuscriptis invenitur titulus, qui totam collectionem spectat, in fronte hujus breviarii, quod collectioni antepositum est, praefixus: „In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti Incipit Liber Canonum," sic in plerisque; in codicibus vero Aemilian. et Tolet. I. „In nomine triplo simplo divino incipit Liber Canonum;" codex vero Lucensis sic habet: „In nomine Domini nostri Jesu Christi. Incipit Liber Canonum sanctorum Patrum generaliter. Hanc insriptionem excipit alia, quae ad carmen heroicum pertinet: Versificatio. Interrogatio. Atque ut ostendam, quam male haec omnia hucusque tractata sint,

1) Huc referendi sunt codices Hispanae collectionis noni et decimi saeculi Laudunensis, Noviomensis, Bellovacensis et Suessionensis, quibus tres saltem spuriae epistolae ex officina Isidori Mercatoris intextae sunt. vid. Coustantius in edit Galland. Veneta p. 54.

ex collatione edit. Matritensis cum Mansiana paucos versus hic proferam.

Apud Ballerinios et Mansium:

Celsa terribilis codex qui sede
Locaris, quia tu es vitalis ordo,
Quod inest tibi nomen?
Celer te te dicas sanctorum regna voce etc.

In edit. Matritensi: Versificatio interrogatioque lectoris ad codicem.

J. Celsa terribili Codex qui sede locaris
Quis tu es? R. Vitalis ordo. J. Quod inest tibi nomen?
R. Coelestis dicor sanctorum regula voce. etc.

Breviarium ipsum distribuitur in decem libros, libri in titulos, et in his proponuntur sententiae. Nulla digestio, nullus ordo reperiri potest. Liber primus constat LX titulis, liber secundus XXIII, liber tertius XLIV, liber quartus XL, liber quintus XVIII, liber sextus VI, liber septimus XI, liber octavus IX, liber nonus IX, liber decimus VII. Ita liber I. duodecim paginas occupat, liber II. tres, liber III. octo, liber VI. unam, liber VII. dimidiam. Tam diversi sunt libri; non

minor varietas inter titulos intercedit: v. gr. Tit. I. lib. I. quinquaginta sex articulos comprehendit, tit. XIII. septuaginta et tres, alii tituli sunt breviores, alii adeo duos tantum articulos habent, immo complures una sententia absolvuntur eaque, quae jam alio loco relata fuerat, ut in lib. I. titulus VII. tit. XV. tit. XXXIII. tit. LVII.; in lib. II. tit. XIV. tit. XV. tit. XX.; in lib. III. tit. V. tit. VI. tit. VII. tit. X. tit. XI. et similiter in reliquis. Atque hic inscriptio tituli ea plene referre solet, quae in articulo continentur. Singuli articuli sunt tituli canonum, raro contractus canonis textus, et si pluries eadem definitio in conciliis statuta est, etiam pluribus articulis repetitur; rarissime enim duae allegationes conjunguntur. Caput numerum Concilii vel decretalis epistolae, titulus vero canonem indicat. Unde intelligis, titulos non esse aliquo certo consilio ordinatos et tunc materiam ad hoc caput pertinentem subjunctam; sed omnia pro lubitu disjecta et commixta esse videntur. Et tamen id non ita factum esse ex eo

apparet, quod omnes codices in hac re mirum in modum conveniunt, cum in reliquis discrepent. Ergo de origine hujus breviarii sic sentio: Factam esse ab initio aliquam dispositionem, quae ex titulis libri primi adhuc elucet, et fortasse usibus episcoporum dioecesim visitantium destinatam: hujus generis primos sex libros fuisse qui agunt hoc ordine: de institutionibus clericorum, monasteriorum, judiciorum, officiorum, de diversitate nuptiarum, de generalibus regulis clericorum; deinde adjectos esse locos de regimine principali ex Toletanis recentioribus conciliis; accessisse titulum VII. de honestate et negotiis principum; denique tres ultimos titulos VIII. de Deo et his quae credenda sunt de illo, IX. de abdicatione haereticorum, X. de idololatria et cultoribus ejus, secundum aliquem tractatum tunc temporis usitatum efformatos esse; ultimo denique postea adjectas allegationes ex epistolis Gregorii ad Reccaredum regem: de muneribus missis. Sic omnia quodammodo cohaerere videntur;

sic etiam explicari potest, quemadmodum illi tituli singulares inserti sint. Post ultimam amplificationem collectionis canonum et decretalium initio saeculi septimi nihil immutatum est, quare etiam hoc breviarium in omnibus codicibus noni et decimi saeculi unam eandemque formam habet. Immo suspicari licet, hanc formam jam concinnatam esse post concilium Toletanum IV. reliqua deinde aut novis factis titulis adjecta, aut antiquis interjecta esse. Plurimae allegationes in prioribus libris repetitae sunt ex conciliis Carthaginiensi IV. Carthag. III. Toletano IV. et ex excerptis Martini, quae in omnibus codicibus post X. canonem concilii Bracarensis II. adjunguntur, quod expresse moneo, quia Bienerum fugit, qui in Dissert. laud. p. 76. ait, in editione Matritensi deesse capitula Martini. Sed in breviario quoad haec capitula magna confusio est, quia haec capitula eodem numero significantur, ac concilium Bracarense II.: saepe tituli ex eodem referuntur quasi Excerpta Martini et e diverso apud Mansium fere semper

Concil. Bracarense III. allegatur, ubi loci ex Martini Excerptis significantur. Inde tanta in his capitulis confusio etiam apud Gratianum. Denique nunquam citatur in breviario nostro (quod ex accurata collatione comperi) primo concilium Constantinopolitanum II., sub quo titulo intelligenda sunt 1) pars actorum ex actione XVIII. concilii oecumenici sexti seu Constantinopolitani universalis III. ubi monotheletae damnantur, interque eos etiam Honorius Papa: unde mireris Leonem II. haec acta cum Hispanis communicasse, ubi ipse Papa inter haereticos refertur; 2) Epistola Leonis ad episcopos Hispaniae, quae incipit: „Quum diversa sint hominum studia; 3) Epistola ejusdem ad Quiricum episcopum, 4) Ep. ejusd. ad Simplicium comitem, 5) Epistola Benedicti presbyteri [1]) ad Petrum notarium regionarium, 6) Ep. Leonis ad Ervigium regem, 7) aliud excerptum: de his qui contra praesules etc. [2]) Praeterea

1) Qui Leone mortuo papa electus jam erat, et successit nomine Benedicti II.

2) Vid. apud Mansium Tom. XI. col. 1050. E. — 1055. E.

neque concilia Teleptense, Vasense II., Aurelianense II., Epaunense, Carpentoractense, Arvernense I. et II. Caesaraugustanum II. et III. Toletana XI. XIII. XIV. XV. XVI. XVII. Bracarense III. Barcinonensia I. et II. Narbonense, Oscense, Emeritense, in breviario unquam allegantur, licet continua numeratione in collectione disponuntur. Ex hoc, et quoniam Toletanum XII. lib. II. tit. 22. et lib. V. tit. 18. in calce tituli adjicitur, pro certo statuo, hoc breviarium anno 682. jam compositum, nec quidquam deinde adjectum esse. [1]

col. 1085. — 1086. A. col. 1055 E. — 1058. cf. alia versio latina ibid. col. 896. — 900. item graeca ibid. col. 631 — 639 et col. 655. Hispani episcopi de recipiendis et codici inserendis his actis tractarunt in concilio Toletano XIV. cf. acta hujus in Matritensi editione et apud Mansium ibid. col. 1085 — 1091.

1) Si quis obloquatur mihi, nonnulla ex his conciliis allegata non esse, quia ipse textus in capita seu titulos non sit divisus, huic respondeo, neque Ephesinum concilium in canones divisum esse, sed hoc nomine in Hispana collectione venire Epistolam Cyrilli ad Nestorium cum XII anathematismis et caput VIII. ex parte I. actorum huj. concilii cum inscriptione: Alia ad eundem Nestorium decretalis epistola, quod etiam in actione I. Chalcedonensis concilii repetitur. cf. ap. Man-

Denique quaedam concilia alio nomine allegantur: nempe concilium Milevitanum apud Mansium fere semper sub nomine Carthaginiensis VIII. e. gr. lib. II. tit. 4. tit. 17; adjecto vero titulo: lib. III. tit. 26: Conc. Milevitanum II. seu Carthaginiense VIII. in titulo 28. et 29. et lib. VIII. tit. 7. citatur idem concilium: conc. Africanum Milevitanum; tit. 31. et lib. III. tit. 32. tit. 36. lib. V. tit. 4.: conc. Africanum VIII. In Matrit. editione ubicunque suo nomine Milevitanum inscribitur.

Haec sufficiant, ut demonstretur quantis difficultatibus perfecta historiae juris canonici cognitio impedita sit: quae si quando multorum sociata opera remotae, et fontes juris canonici, praesertim conciliorum acta, eadem diligentia, qua alia antiquitatis monumenta tractati fuerint, certissime praeclari fructus ex hoc studio percipientur.

---

sium T. IV. col. 1086 C — 1094 B et col. 887. D — 891. C et Tom. VI. col. 662 B — 663. et antiqua versio latina a Crabbio primum edita ap. Mansium Tom. VII. col. 743. E. Attamen allegatur in breviario lib. VIII. tit. 3. et lib. IX. tit. 9. E contrario plurima ex his conciliis capitibus distincta sunt.

Tamque constitutio concilia [illegible] posuisse [illegible] [illegible] concilium Milevitanum [illegible] Innocentius [illegible] temporibus nonnisi Carthaginiensis VIII. c. 92. [illegible] II. tit. 4. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] lib. II. tit. 24 [illegible] Conc. Milevitanum II. [illegible] Carthaginiense VIII. in titulo 23. [illegible] lib. VIII. [illegible] [illegible] idem concilium [illegible] Africanum Milevitanum; [illegible] 31 [illegible] lib. III. tit. 32. tit. 36 lib. V. tit. [illegible] conc. Africanum VIII. in [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Milevitanum invenitur.

Hinc [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] tis difficultas [illegible] [illegible] [illegible] cognitio [illegible] sit, quia [illegible] quando [illegible] [illegible] [illegible] et forma [illegible]

---

vium T. IV. col. 1161 C — 1291 B et col. [illegible] D — 1291 C et Tom. VI. col. [illegible] B — [illegible] et antiqua [illegible] latina a Quinlo [illegible] [illegible] [illegible] Tom. VII. col. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] in [illegible] cio lib. VIII. tit. 6. et lib. III. tit. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]